COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XVIII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXIII.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfrè, Holmiae apud L. Saluium.



I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche maatschappye der weetenſchappen te Haarlem XII. Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1770. 8. Alph. 1. pl. 14½ tab. aen. 10.

i. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis ad annum 1770. Tom. XII.

1. De *ſtructura et vſu vrachi* commentatio. Auct. Cl. ANT. PORTAL Medic. Prof. Monſpel. ex Francogallico translata a Cl. L. BLIKKER. Relicto Auctorum, qui ſuper hac re ſcripſerunt, diſſenſu, diſquirit Noſter; 1) ſtructuram vrachi omni aetati conuenientem, cum eius mutationibus, quas paulatim ſubit. 2) cauſſas eius inueſtigat, ex quibus vſum determinet. 3) demonſtrat, quo morbo ipſe vrachus a naturali ſua forma per morbum deflectat, quibus obſeruationes, quae huc ſpectent, adiicit. Conſtat vrachus in fetu quinque vel ſemeſtri quatuor filamentis, ita inter ſe complicatis, vt ab vmbilico ad veſicam fere vſque vrinariam continua ſibi videantur. Hic pedis anſerini ad inſtar a ſe ſece-

dunt

dunt filamenta, quorum duo partibus lateralibus adhaerent, duorum reliquorum alterum anteriorem, alterum posteriorem eius partem tangunt. Iunguntur vesicae vrinariae ita, vt superius eius tegumento non adhaereant, inferius vero cum fibris muscularibus firmiter connectantur. Filamenta haec in toto suo tractu obuoluuntur tunica cellulari peritonei, quae, fundum vesicae tegens, prolon-
p. 9. gata, vaginam mentitur, cui *tunicae vaginalis* nomen tribuit. Forma vrachi ex hac descriptione patet: triangularis, cuius apex vmbilicum, basis vero fundum vesicae respiciat; fundi superior pars libere haeret in spatio isto, quod ex secessu filamentorum vrachi formatur, cum vrachus infundibulo longo, angusto tamen ventre respondeat. Continet interdum tunica ista vaginalis humorem, quo cellularis tunica distenditur, et vrachus ipse ampliatur. In-
p. 11. ter fibras musculares ibidem duo detexit spatia vacua, quae responderent secessui partis inferioris vrachi, quae ex secessu fibrarum muscularium orta ex solo textu cellulari constarent. Eadem Cel. LIEUTAUD in aliis locis tunicae muscularis vesicae inuenit *). Accidit, vt in his spatiis membrana interna vesicae dilatetur, et herniam veram formet, quas in tribus infantibus et viro triginta quinque sex annorum clare reperit. **)

p. 14. Vrachus in fetu octimestri vel in maturo nouem mensium a priore non differt, nisi vt filamenta eius paullo longius inter se superius, inferius fibris muscularibus vesicae coniungantur, vt difficile separentur: sint paulo crassiora, magis elastica, nullo vero cauo instructa, tunicae eius arctius adhaereant, ex quo superficies eius inferior minor euadat. Rarius in

*) Mémoires de l'Academie Royale des sciences année 1752. v. comm. nostr. Vol. VI. p. 650.

**) vid. ib. année 1701.

in hac humor deprehenditur. Filamenta haec iam paullatim magis cum fibris muſcularibus et tunica eius firmius coniunguntur, ita, vt concreſcant, et vrachus ſeorſim decreſcat, cuius in ſenio interdum non, niſi veſtigia detegantur. Ex iis, quae examinauit, cadaueribus aſſerit Noſter, vrachum, quo propior fetus ad partum fuerit, eo maiorem fuiſſe. Hinc etiam vſum, quem habeat vrachus in fetu, determinat, quod fluctuantem veſicam firmet, ne ea, ob anguſtam cauitatem peluis, extra ſedem idoneam prolabatur; qui vero vſus in infantibus ceſſat. Cum enim veſica vrinaria tum aliam ſedem aliamque faciem accipiat, vrachus etiam mutetur neceſſe p. 18.
eſt: hinc filamenta coeunt et ligamentum verum formant. Vrinam, in quibusdam aegris per vrachum p. 20.
excretam, ex ſuperioribus declarat cauſſis: quibus patuit, duo inueniri ſpatia vacua, ex quibus etiam vera hernia oriatur. His itaque in veſica praeſentibus, impedimento vero vrinae, per viam naturalem excernendae, obiecto, eam hac praeternaturali via excerni non improbabile videtur. Haec exemplo quodam declarat. *Bartholomaeus Roſſignot* chi- p. 25.
rurgus Cahuzacenſis, aetate 82 annorum, vita laborioſa, qua etiam multum equitauerat, peracta, dolores vehementer in pene et vrethra vagos ſenſit, vt etiam vrina, quo minus excerneretur, impediretur. Medicamentis diureticis fruſtra tentatis, cerei applicati ſunt abſque leuamine; vrina potius diebus nonnullis poſt per vmbilicum excreta videbatur, vt etiam tunc per vrethram exire plane ceſſaret. His ad ſextum menſem durantibus aeger obiit. Secto cadauere, Noſter canalem coniformem, ab vmbilico ad veſicam vſque tendentem, detexit, cuius diameter ad vmbilicum tertiam partem digiti, ad veſicam vnum et ſemi digitum, longitudo vero ſex digitos aequauit. Veſica collapſa paruo pomo

 reſpon-

respondit, cuius tunicae admodum crassae, collum valde durum et rugosum; exitus vero plane clausus erat. Vesicam vrinariam ita collapsam deprehensam esse, Cl. Auctori notatu dignissimum videtur.

p. 31. 2.) *Commentatio de praeparatione et vtilitate pulveris hypnotici, cum adiecta curationis historia, vigiliae chronicae, vsu huius pulueris leuatae.* Auct. Cl. SAMUEL CHRIST. KRIEL. Cl. IACOBI *) puluerem commendauit, qui, ex regno minerali praeparatus, hoc haberet praecipui, vt somnum naturalem produceret, dolores compesceret, nec iis symptomatis, quae opium sequerentur, stipatus esset. Hunc igitur pulverem, quo obscuriores Nostro videntur Cl. Auctoris et descriptio, et praeparatio, eo paulo studiosius investigare suum esse duxit, quo paullo clarius et partes eius constituentes, verum praeparandi modum, nec non, quas Cl. IACOBI asserit, declararet virtutes.

p. 34. Iam adhibuit aquae calcis viuae libras duas, salis tartari, vel cinerum clauellatorum vncias duas, florumque sulphuris vncias quatuor; haec in phialam immissa, igne in balneo arenae eo vsque tractauit, quo flores sulphuris euoluti ascenderent; His frigefactis, ouaque corrupta redolentibus et per filtrum colatis, donec colorem pellucidum aureumque ostenderent, adiecit mercurii viui purissimi vncias duas, quam deinde totam massam in cucurbitam vitream immittens, spiritus nitri fumantis vncias quatuor, vel quantum ad extinctionem mercurii satis esset, superimposuit: Priore tum solutione salsa florum

*) vid. T. I. Act. nou. Academ. Caesar. in appendice p. 165. seq. vbi I. C. IACOBI dissertatio *de viribus hypnoticis, a minerali regno haud alienis* inserta legitur. vid. comm. nostr. Vol. VII. p. 153.

florum ſulphuris in vas, ex porcellana confectum, repoſita, alteram mercurii ſolutionem ſenſim inſtillans, maſſam inſtrumento quodam agitauit, quo eo melius miſceretur : hinc ſub qualibet guttula efferueſcentiam ortam, pulueremque nigrum praecipitatum vidit; efferueſcentia vero ceſſante, requieuit Noſter, et, cum omnia iuſte ſeparata viderentur, liquidum a puluere praecipitato prudenter, vt decet, ſegregauit, pulueremque aqua pura eo vſque edulcorauit, donec nullum ſaporis ſalſi veſtigium relinqueretur, tandemque eum in aere vel ſole, calorem ſani hominis non ſuperante, exſiccauit, et in mortario vitreo bene tritum ad vſum ſuum repoſuit.

Ex liquido ſalſo, iuſte ad pelliculam euaporato, crystallos, nitro regenerato vere ſimiles, obtinuit. p. 36.
Puluis noſter cum aethiope minerali conuenire videtur, niſi vt color eius ruber ſit paulo obſcurior, odor vero ad narcoticam indolem accedat. Hunc puluerem Cl. IACOBI deſcriptioni ex omni parte reſpondere, per ſequentem hiſtoriam morbi probari aſſerit Noſter. Quinquagenarius macilenti habitus, p. 37.
proceraeque ſtaturae, ſtudiis admodum vacans, doloribus capitis pertinaciſſimis, grauibusque ſaepius affectus eſt febribus. Noſtrum d. 15. maii 1769 conſulens, de vigilia iam per annum continua, nullis medicamentis, nec opio ipſi de cente, quaeſtus eſt. Nam abſque leuamine hactenus, venaeſectionibus, pediluuiis, clyſmatibus, laxantibus, ipſoque opio capiti externe applicato, cum diluente et frigidiore diaeta vſus eſt. Cum nulla, nec anamneſtica, nec diagnoſtica adeſſent ſigna, ex quibus ad cauſam proximam vigiliae concluderet, eam haud imprudenter ex doloribus praegreſſis vehementiſſimis capitis deriuauit. Tentauit primum ſcrupulum ſemis huius p. 41.
pulueris pro doſi, ante quam cubitum iret, ſumendum, cum effectu bono, nec tamen conſtanti; duplicem

 dein-

deinde propinauit dosin, et aeger, symptomatis omnibus cessantibus, optima fruitus est sanitate. Comparat porro Noster puluerem hunc cum opio, cui virtute sua praefertur, et demonstrat tandem ex ipsa particularum constituentium indole modum, quo puluis in corpus nostrum agat.

p. 45. 3.) *Commentarius super agricultura Brabandensium et Vlamiagarum emendata.* Auctore Cl. IOSUA VAN IPEREN.

p. 121. 4) Tractatus *de praeparatione olei animalis* DIPPELII Auct. Cl. B. TIEBOEL, pharmaceuta Groningensi. Cum oleum hoc non vbiuis, quo medicus iuste vtatur, habeatur; methodus vero praeparandi apud Auctores sit varia, suam, qua eiusmodi oleum bonae notae confecit, communicat Noster. Quo modo Cl. DIPPELIUS oleum hoc praeparauit, patet; eum vero falso huius inuentorem dici, ex eo constat, quod ante eum Cel. HELMONTIVS eius iam meminerit *). Omissis vero Auctorum, quorum catalogum Noster infert, de hoc oleo sententiis, praeparandique eius modo, tres communicat processus, quibus hoc oleum vario modo idem produxit.

p. 135. Olei cornu cerui foetidi vncias sex post aliquot dies, cum nihil amplius fundum peteret, tum tribus vel quatuor partibus aquae tepidae commiscuit, et per viginti quatuor horas leni calori, vbi quauis hora massam agitaret, exposuit. Aqua hac postmodum separata, aliam super infudit eodem procedendi modo: oleum tum in retortam ope tubuli metallici immisit, ne tubulus collum retortae tangeret. Retorta deinde in balneo arenae locata recipienteque cum luto bene applicato, altero die destillationem leuissimo gradu ignis incepit. Primo guttulas roridas

*) vid. Aurora medicinae.

das in collo retortae: deinde minima ſpicula ſalis volatilis vel in collo retortae, vel ad orificium recipientis vaſis, vel denique in eius interna ſuperficie vidit. Tria olea ex quolibet proceſſu habuit: primo oleum dilute flauum cum liquore vrinoſo: deinde, alio vaſe recipiente applicato, ſub eodem gradu ignis tres et ſemi vncias olei paulo purioris accepit; iam vero igne maiore admoto, nouo excipulo applicato, oleum craſſius ſenſimque nigrius aſcendit, reſiduo craſſo aſphalti ad inſtar vnciarum trium fere relicto. In altero proceſſu oleum ſecundum, in retortam infuſum, in balneo arenae denuo deſtillauit: primo oleum tenue flauum cum liquore vrinoſo prouenit; alterum purius excolor ad tres circiter et ſemi vncias, et tertium colore paulo clariore cum primo et tertio oleo primi proceſſus commiſcuit. In tertio proceſſu olei ſecundi duas et ſemi vncias in puram retortam cum eadem quantitate aquae purae immiſit, loco vero vaſis recipientis vitrum hypoclepticum, cuius figuram et deſcriptionem adiicit, applicuit, et leni tali deſtillatione ſupra duas vncias olei puriſſimi, fragrantiſſimi et pellucidiſſimi, ſine flauo colore vel alio ingrato odore accepit, quod deinde in lagenulas ad drachmam vnam prudenter ad vſum repoſuit. Annotationes tandem adiecit, quae plerumque ex proceſſibus iam patent; quo vero diutius oleum bonum ſeruetur, lagenulae plenae ſint oleo neceſſe eſt.

p. 138. p. 142.

5.) *Animaduerſiones phyſicae in vſum anthennarum inſectorum.* Auctore Cl. IOB. BASTER. De vſu harum anthennarum nondum auctores inter ſe conueniunt, alii enim organa genitalia, alii organon odoris, alii demum auditus illis tribuunt: qua de cauſa Cl. Auctor ſtudioſius paulo in hanc rem inquirens 1) ad ſtructuram formamque externam anthennarum; 2) ad

p. 147. p. 164.

2) ad magnitudinem; 3) ſedem; 4) ſitum et motum;
5) varietates anthennarum apud inſecta non ſolum
vnius generis, verum etiam vtriuſque ſexus; 6) decli-
nationem vel conuenientiam anthennarum in inſe-
ctis, quae vel in aere, vel in aqua, vel in terrae gre-
mio viuant; 7) inter nam tandem earum at-
tendit ſtructuram. Haec itaque omni, qua decet,
examinauit diligentia. Ratione ſtructurae formae-
que externae eas in octo, Auctore Ill. LINNAEO, di-
vidit ſpecies, quas fuſe ſatis exemplis iuſtis declarat.
Reliquis momentis, ad quae praecipue attendit,
exempla idonea applicat, ex quibus hoc colligit:
p. 176. 1) ſe anthennas in ſexu potiori maiores pluribuſque
articulis obſeruaſſe, quam in ſexu ſequiore; 2) o-
mnes fere admodum compoſitas, papilionum vero
plurium valde ſimplices fuiſſe; 3) eas in papilioni-
bus ad apices, in ſphinge in medio, et in phalaena ad
initium craſſas inuentas eſſe; 4) quaedam inſectorum
cum anthennis alimenta quaeſiuiſſe. Cum enim
papilionum anthennis ſolutionem ſacchari affunde-
ret, ſtatim linguam prorigi ad hoc arripiendum vi-
p. 178. dit; ex his tamen phaenomenis non ad vſum an-
thennarum concludere auſus eſt Noſter, niſi vt ſuſ-
picaretur, inſecta anthennis ſuis vim exercere, quae
a noſtris organis ſenſoriis plane differat, nec ideo
vnquam a nobis detegenda ſit. Adiicit tandem Cl.
Auctor duas tabulas aeneas, in quarum priore in-
ſecta eà varia, quorum in tractatione ſua meminit,
cum ſuis anthennis; in poſteriore vero eas
ſeparatim microſcopio delineatas oſtendit.

p. 189. 6) Tractatus *de variolis veris, eundem aegrum
iterum adgreſſis*. Auct. Cl. GUALTH. VON DOEVE-
REN. Inueteratum fere praeiudicium, *hominem non
niſi ſemel variolis veris affici poſſe*, adgreditur Noſter
1) ex propria experientia; 2) ex aliorum, fide digno-
rum

rum obſeruationibus; 3) ex indole contagioſa variolarum in eos, circa aegros varioloſos verſantes, quamuis variolas iam perpeſſi ſint; 4) ex ipſis variolis, homini plus vna vice eodem contagio communicatis; et 5) demum ex vniuerſali natura et conuenientia aliorum morborum contagioſorum cum variolis. Contigit Noſtro, vt variolas, aegrum bis p. 192.
inuadentes, in ipſa ſua vxore obſeruaret. Ea enim d. 15. aug. 1759. cum primipara eſſet, a contagio, tunc valde graſſante affecta, variolas veras et fere confluentes, bene ſuperauit, cum relictis earum, in facie praecipue, veſtigiis, puella vero iis ſuccubuit: Nec in vrbe quisquam fere fuit, quin hoc ſciret. Anno 1768 d. 8. decemb. cum ſextum fetum feliciter peperiſſet, bene quidem ſe habuit, niſi vt interdum leni inſultu febrili, cum debilitate afficeretur. Die 16 ſymptomata variolarum contagio non graſſante perſentiſcebantur, febris nimirum grauis cum horrore, dolore capitis, axillarum lumborumque cet. ad 18 d. durantibus; eruptione nunc vero quadam praeſente, ſymptomata omnia ceſſarunt. Non ſatis ad eam, cum variolas ſpurias eas ſuſpicaretur, attentus fuit; verum diebus quibusdam poſt veras, diſtinctas eas obſeruauit, ſuppuratio in facie non perfecta erat; quae vero in brachio, in dorſo, et lumbis conſpiciebantur iuſtam ſuam ſcenam ludebant, vt de veris variolis dubitatio ſupereſſet plane nulla. D. 24, cum ſuppuratio ad ſtatum perueniſſet, Cll. CAMPER, GUMMER, BRILL, SWYGHUISEN, qui aegram ante nouem annos etiam obſeruarunt, et GEUNS acceſſere ad aegram, qui omnes variolas iſtas veras iudicarunt. D. 28 exſiccabantur et 3 demum ian. 1769 omnes deciderunt cum relictis ſuis veſtigiis. Obiectionem ſibi factam, infantem p. 200.
nimirum, matris aegrae lac ſugentem, aeque ac reliquos duos infantes, circa matrem obuerſantes, a vario-

variolis liberas fuisse, ita soluit, vt variolae, contagio non grassante, non ita facile plerumque infantulis communicentur, nec liberi hi ad contagium suscipiendum recte dispositi fuissent, cum Nostro eorum patre vterentur, in aetate 71 annorum nondum variolas perpesso.

Alterum exemplum Noster habuit in puero, novem annorum, ad quem d. 13 m. 1759, contagio valde solemni, accerseretur. Ex symptomatis Noster ad variolas concludit, quas parentes ideo negabant, cum aeger anno 1754 variolis veris, auctoritate et cura Cl. EDING laborasset, quarum etiam vestigia in facie detegeret. Hinc antifebrilibus, antiphlogisticis, cet. frustra propinatis, diebus quatuor post variolae admodum copiosae eruperunt, quae, scena iusta sua finita, aegrum saluum relique-
p. 203. re. Tertium exemplum a Cl. SWYGHUISEN, strenuo aduersario contagii variolosi iterum reuersuri, Nostro communicatum, quod adeo manifestum fuit, vt Auctor iste, praeiudicio suo abiecto, non amplius de contagio reuersuro dubitaret. Totum deinde catalogum Auctorum fidissimorum refert, ex quibus idem patet, variolas post contagium naturale aeque, ac artificiale, eundem aegrum iterum inuasisse. Porro ex experientia, quam bonis confirmat exemplis, constat, contagium hoc et aegrorum corpus totum inficere, et partes quasdam, quas contagium immediate tangat, aggredi.

p. 221. Nec minus hoc patet ex exemplis eiusmodi, copiosissimis, vbi infantes contagio varioloso vix liberati, vel post primam eruptionem alteram, vel ter-
p. 226. tiam, per quaedam interualla experiuntur. Cum variolae cum aliis morbis contagiosis admodum conueniant: hi vero homines plus vna vice inuadere soleant, non dubitandum videtur et hoc de variolis affirmare. Probatur hoc exemplis ab hydro-

phobia

phobia, morbo miliari, peste humana aeque, ac bovina, petitis. Ex adiectis tandem, quae apposuit Noster; patet, homines per insitionem magis ad variolas subeundas disponi, quam per contagium naturale: vel eos, qui a contagio naturali per omne vitae tempus liberi fuissent, ex insitione variolas experiri. p. 233.

7) Commentatio de *vtilitate et damno, ex instrumento vario modo facto, redundantibus* Auct. Cl. N. YPEY. p. 243.

8) Obseruatio*) *de fundo vteri inuerso amputato et curato, cum idoneis adnotationibus* a Cl. G. MULLER. M. D. Appingedamensi. Puerpera, partu feliciter absoluto, extractione secundinarum grauissimis symptomatis afficiebatur. Vrina post partum nulla excreta, Noster partem placentae, in vagina ad corpus quoddam rotundum adhaerentem, extraxit, quo facto vrina quotidie efflueret; aluo vero clausa, nec vllis adminiculis soluenda, corpus, in vagina relictum, disquirens id in parte anteriore amplius, vaginam exacte occludens, in parte posteriore angustius, totum vero, membrana tenui glabra obuolutum et fere indolens inuenit, ita, vt de vteri fundo inuerso non amplius dubitaret. Excretionibus postmodum aluinis et vrinariis, quae rursus cessarent, clysmatibus et cathetere promotis, aegra melius se habuit, cum corpus hoc sensim imminueretur et orificium posset detegi, et digiti iuxta collum corporis carnosi in vterum possent immitti, vsque dum aegra, ex lecto iterum surgens, hoc corpus ad labia pudendorum prolabi sentiret. Iam Cl. Auctor ad operationem accessit. Corpus ipsum pyrum p. 257. p. 261.

*) Societati haec obseruatio communicata est a Cel. van DOEVEREN.

pyrum inuerſum cum petiolo mentiebatur, cui ope catheteris muliebris filum argenteum methodo Cel. LEVRET circumduxit, quod ad partem, vbi dolor ſentiretur, vſque attraxit, hoc per aliquot dies continuato, corpus ſenſim ſub ligatura delapſum eſt, vbi, fluido ſeroſo putrido promanante, reliqua pars vteri ſenſim ſenſimque aſcendit, ſymptomata ceſſarunt, et
p. 267. aegra recte conualuit. Ex phaenomenis, quae obſeruauit Noſter, patet fuiſſe *inuerſionem vteri imperfectam*, non vero *ſarcoma*, quod paucis diebus ante operationem ſuſpicatus erat. Nam 1) ex parte placentae relicta conſtat, ex imprudentia obſtetricis malum hoc ortum ſuum duxiſſe; 2) corpus hoc carnoſum non diu puerperio poſt ad oui gallinacii magnitudinem vſque imminuebatur; 3) erat intus cauum membrana polita obuolutum; 4) tandem femina haec plethorica, optima ſanitate inſtructa, fluxum catameniorum, ante morbum, iuſto tempore celebratum non amplius, quamuis infantem non la-
p. 270. ctet, experitur. Audaciam operationis Cl. Auctor ex eo defendit, quod de inuerſione vteri non perſuaſus ad ſuſpicionem ſarcomatis peruenerit, et ſub finem emendationem fili argentei, quo encheireſis perficitur, adiecit.

p. 275. 9) Obſeruationes et adnotationes *ſuper frigus menſe ianuario* 1768. Auct. Cl. I. C. PALIER.

p. 291. 10) Animaduerſiones *de iuſto tempore, loco et modo, partes demortuas amputandi*, a Cl. IACOB VAN DER HAAR. Ex diſſenſu Auctorum partes gangraena, ſphacelo vel quacunque labe demortuas amputandi, cum alii partem in ipſo progreſſu gangraenae abſcindi velint, alii, medicamentis antiſepticis interne adhibitis, hoc naturae relinqui malint, collegit Noſter, iuſtum tempus, locum et modum determi-

terminandi operae pretium omnino esse. In neutram vero partem abit; medicamentis potius roborantibus, antisepticisque antea datis, naturae viam, cum iam demortua pars a sana abscedere videatur, sequi, eamque tunc amputare Cl. Auctori prudentius videtur. Iam studiosius methodum suam describit: 1) operationem non in aegro et debili, sed in emendato et in robustiore corpore tum praecipue, cum in altero latere eminentia quaedam in sana parte conspiciatur, instituendam esse; 2) partim demortuam ad vnam, duas vel tres lineas a parte vere sana cultro et serra abscindi debere; 3) hoc in vulnere, per tempus iam quoddam suppurante, parua superficie, eminentibus marginibus fieri praestare, vnde nouum vulnus ad suppurationem sine noua inflammatione, cito peruenturum esse sperari poterit; 4) ad operationem non nisi cultrum aptum et serram, paruum fasciarum apparatum requiri; 5) nec ligatura arteriarum opus esse, neque haemorrhagiam inde metui, cum trunci maiores arteriarum iam paulo ante demortui, retracti et occlusi videantur; 6) cutim iam ante operationem attractam, tunicam adiposam et musculos trunco firmiter adhaerentia, iam propullulante humore lymphatico, ex vasis minimis ossi sano firmius accrescere solere; 7) suppurationem magnam ex tali methodo vix metuendam esse; 8) Et vulnus hoc multo minus, aegro non ita dolorificum, breuiusque quam aliis encheiresibus, esse sanabile. 9) Hanc methodum naturae conuenientissimam esse, nec, cum aliis partibus simul prospiciendum sit, plethoram esse metuendam; 10) tandem, si pes circa suras abscindatur, hoc commodi inde redundare, vt bene possit truncus pedi artificiali applicari. Adiicit Noster etiam exempla, quibus eluceat, naturam interdum ipsam, sine arte partes destru-

p. 305.
p. 317.

ctas

ctas a ſanis abſque omni noxa abſcedere ſolere.

p. 334. 11) Tractatio *de noua demonſtratione, quae ſit proportio magnitudinis a-b ad indeterminatam potentiam n.* Auct. Cl. I. H. VAN SWINDEN.

p. 359. 12) Commentatio *ſuper tres ſpecies arcuum coeleſtium alborum* a Cl. IO. FLORENTIO MARTINET.

p. 373. 13) Commentarius *de duobus admodum magnis oſſibus, ad aggerem Bommelenſem repertis* a Cl. I. C. PALIER. Accepit Noſter, cum d. 14 febr. 1757 ſtagnum Maaſenſe (*Maas-dyk*) iuxta pagum HEDEL ad *aggerem Bommelenſem* (Bommeler-waard) fines ſuos tranſiret, duo admodum magna oſſa, ſub radices aggeris hactenus haud dubie contenta, vi vero aquae iam in terram deiecta. Alterum erat, ex mente Cel. CAMPERI, os femoris ex elephante, ad libras 40, et 41 pollices Rheinlandicos longum, in extremitate altera 28, in altera 21 et in medio 16 pollices in peripheria craſſum. Color eſt ex rubro brunnus et ſplendens; diaphyſis valde dura; in altera extremitate multae paruae apophyſes poroſae, in altera magna poroſa cauitas, 12 pollicum perimetro conſpiciuntur. Alterum erat vertebra thoracis duarum et dimidiae librarum, 27 digitorum in ambitu, cum cauo duorum digitorum et duarum linearum in diametro, colore paullo flauio-
p. 379. re. Tres quaeſtiones mouet Noſter 1) ad quamnam partem corporis haec oſſa pertineant? quam Cel. CAMPER, qui haec oſſa in muſeo ſuo ſeruat, ſoluit; 2) ſic et alteram, ad quod animal pertineant? ipſe ita diluit, vt ad elephantem referret 3) quaerit porro: an ex elephante eſſe poſſint? Academia ſcientiarum Pariſienſis oſſis femoris, ex elephante Regis,

Regis, qui diſſectus eſt, longitudinem ad 2 pedes et nouem digitos refert *); cum hac vero deſcriptione haec omnino conuenire videtur. Icon, qua vertebra delineata conſpicitur, adiecta eſt.

14) *Effectus fulguris ſolius in naue triremi anno* p. 391. *1749 cum adnotationibus communicati a* WILLHELMO MAY. Cum effectus fulguris ſaepiſſime in acu magnetica conſpiciantur, ita, vt a ſua directione manifeſte declinet: Noſter hanc declinationem in vndecim acubus magneticis, in hac naue praeſentibus, ex vnius fulguris effectu diſtincte obſeruauit, cum aliae verſus orientem, aliae occidentem, et aliae verſus alia loca directae eſſent, nec vlla iuſtam directionem ſervaret Hanc rem eruditorum diſquiſitioni vlteriori tradit Noſter, cum omnino operae pretium ſit, hanc declinationem rectius determinare, cuius commoda in rem nauticam redundarent non vulgaria. Praemiſit relationem mutationum, ex effectu fulguris in naue oriundarum, ex quibus patet, fulgur circa corpora ſpatium vacuum effeciſſe, quo aer fixus, compedibus ſuis ſolutus, hos inſignes effectus prodidit.

14) *Deſcriptio anatomica tetrodonis laeuis compreſſi*, Zonneviſch **). Auct. Cl. MARTINO p. 413. DOMSMA, chirurgo Amſtelodam. Piſcis hic captus, 200 circiter librarum erat, forma fere rotunda, attamen lata non craſſa: cutis aſpera multo tenaci muco praedita, colore albo coeruleo, et ita firma

*) LINN. Syſtema Nat. P. I. p. 448.

**) LINN. Syſtem. Natur. P. I. p. 410. a quo ad amphibia refertur et dicitur. *Tetrodon mola laeuis compreſſus cauda truncata, pinna breuiſſima dorſali analique annexa.* HOUTTYN *Natuurlyke hiſtorie.* Tom. VIII. P. I. *Molenſteenviſch.*

firma duraque, vt inſtrumentis vix cederet. Roſtro (*ſnuit*) eſt inſtructus magno, valde duro abſque pinnis narium, ſub quo os paruum rotundum conſpicitur, quod intus duobus magnis cartilagineo-oſſeis clauditur maxillis. Ab hoc non longe diſtant duo oculi magni, bouis magnitudinem ſuperantes, firmis oſſeis orbitis incluſi, magna copia albi, tenacis, pinguedinoſi humoris praediti, et extus tenui membrana, ex ipſo oculo oriunda, praecluſi. Poſt hos oculos oblique deorſum duae branchiae duplices, non ita magnae conſpiciuntur. Poſtea pinna magna, ad piſcis vero magnitudinem parua detegitur. Dorſo valde duro et aſpero gaudet, abdomine latiore, inuenitur iuxta anum admodum magna nigra pinna, ſingula verſus caput angulum rectum faciens. Pone has pinnas anus, ſemicirculo ad ſingulam pinnam vergens ambitu inciſo, nulloque fere motu inſtructus.

p. 417. Duae coſtae magnae oſſeae a roſtro ad dorſum et anum vſque procedunt. Diſſecto piſce, ſubſtantiam eius Noſter fere totam cartilagineam, praecipue circa anum, inuenit. Conſpiciebantur in ore duae tonſillae ſuo loco, aculeis acus ad inſtar inſtructae, inter has glandulas tenuis membrana, ex conuolutis vaſis, facile explicandis erat. Branchiae internae magnae erant et cartilagineae, ſub quibus in quolibet latere os firmum iugale apparuit. In pectore detectum eſt cor magnum, ad duas partes muſculoſum, et vnam album, ex ſubſtantia, piſcibus propria (*viſſig*) cum magnis cauis firmiſque membranis. Lumina vaſorum cordis digitum aequabant, cor ipſum pericardio craſſo et firmo, parum liquoris continente, cingebatur. Diaphragma, eo ex corpore hominis craſſius, maximam partem tendineum erat: adhaeſit ei cum firmo ligamento hepar magnum, colore flaueſcente, membrana firma

pellu-

pellucida instructum. In medio eius magna vasa biliosa et sanguifera cum vasis lymphaticis egregie conspiciebantur; substantia vero hepatis adeo mollis erat, vt, membrana separata, in massam flauescentem oleosam conflueret. Adfixa erat superficiei eius concauae vesicula fellea, cum bile intus contenta, adeo crassa, vt cultro discindi posset. Bilis ipsa peculiari tenui membrana, vt vitellus oui, circumdata erat. Intestina crassitiem bouinorum aequarunt, tunicae intestini (vnum tantum esse videbatur) semi digitum crassae et admodum firmae erant, villosa valde rugosa est: excrementa intus non, nisi vermis longus, flauus, planus et tenax, aderant. Ventriculus superior tantum intestini pars dilatata, nec adeo magna videbatur. Spatium a faucibus ad ventriculum quatuor manus replebant, quod oesophagum Noster vocat. Valuulae in intestinis non; verum firmus satis, musculosus conspiciebatur sphincter ani. Tunicae vesicae vrinariae admodum firmae erant, quae magnam vrinae copiam intus continebat. In latere sinistro sub diaphragmate ren magnus, rubicundus, spongiosus, multis vasis conspicuis detectus fuit. Bulbus oculi cor- p.420.
neus fere totus, a cuius parte posteriore neruus opticus valde longus et tenuis conspiciebatur, ex quo rami in musculos oculi abierunt; musculi vero erant magni firmi, maximam partem tendinei, praeter hos ramos nerueos alios etiam ramusculos accipiebant. Tunica coniunctiua magna est, multis vasculis sanguiferis praedita, super mucum oculi antea descriptum tendebatur; cornea admodum crassa et dura, sed pellucida fuit: iris immutabilis et magna. Tunica sclerotica valde nigra, crassa et admodum splendida, facilis secessu. Retina tandem egregie in conspectum prodibat. Crystallinus humor prae reliquis eminebat, firmius cohaerens, et rotundus erat.

erat. Magna gaudebat pelluciditate, obiecta, ad instar microscopii, ad duas tertias maiora repraesentabat. Reliqua Cl. Auctori studiosius disquirere non licuit. Adiecta est icon eiusdem piscis.

15) *Obseruationes meteorologicae Zwanenburgenses ad annum 1769.*

Obseruationes et relationes societati communicatae.

p. 3. 1) Obseruatio *singularis piscis marini, circa tropicum cancri, detecti* a Cl. IOSUA VAN IPEREN. Absque vlteriore examine, et sine omni dissectione anatomica describit Noster tantummodo locum et modum breuissime, quibus monstrum hoc marinum conspiciebatur. Nomen ei in commentariis piscis albi (*witvisch*) inditur, ob album splendidumque colorem.

p. 6. 2) Relatio *de variolis ante partum.* Auctore EODEM. Vxor Cl. Auctoris grauida duos liberos, variolis affectos, absque omni incommodo curans, infantem sanum quidem, in quo tamen vestigia variolarum conspicerentur, peperit. Paulo ante partum, vbi fetus absque dubio laborauit variolis, anxia fuit.

p. 8. 3) Relatio *de infante absque manu dextra nato, in cuius loco paruula manus in latere dextro pectoris conspiciebatur.* Auctore Cl. ADRIANO WOLFF. Descriptionem eius antea accepit Noster a chirurgo quodam perito. Natus est hic infans d. 13 dec. 1765 sine manu dextra: clauicula cum scapula firmissime cohaesere sine vllo motu: eminet ex earum coniunctione sursum apophysis quaedam ossea, carne et integumentis obducta, pollicem alta, et digitum crassa. Oriunda est infra papillam mammae paruula manus intra duas costas. Corpus intra costas, et reliquum manus extra pectus conspiciuntur:

tur:

tur: palma versus sinistrum latus cum manu ipsa eiusque digitis, oblique porrectis, vergunt. Praedita est vno pollice, duobus digitis et vno paruo, praeter digitum vnum nihil deficere videtur. Digiti, phalangae et manus ipsa moueri, a se deduci et patiebatur, et infans ipse haec mouere posse videbantur. Sanus praeterea erat. D. 12 maii 1760 Noster eum ipse examinans nihil peculiaris, nisi manum hanc herpete inquinatam, et omnem eius motus spontanei defectum, obseruauit. Adiecta est icon.

4) Obseruatio *deglutitionis difficilis.* Auctore Cl. S. BRUGMANNS. Aeger 51 annorum boni corporis habitus, multis annis deglutitione difficili laborans, tandem obiit. Cadauere aperto Noster sarcoma oui gallinacei circa cardiam inuenit, multo humore mucoso corrupto cinctum adeo, vt sinistra pars ventriculi, ab eo infecta, gangraenam iam ostenderet. Substantia sarcomatis non cohaesit amplius, poterat digitis conteri. Hic tumor absque dubitatione causam deglutionis impeditae proximam dedit. Aliud sarcoma in fundo ventriculi ad oui anserini magnitudinem detexit cum multis carunculis carnosis. Reliqua sana, quamquam aliquo modo mutata videbantur. p. 13.

5) Continuatio *transitus difficilis ingestorum per oesophagum.* Auctore EODEM. Aeger 56 annorum sanus, nisi vt a iuuentute iam ad vomitus spontaneos, sine alio incommodo dispositus esset, decem hebdomadas ante mortem difficultatem deglutiendi circa cardiam sensit, quae in dies crescens aegrum adeo vexauit, vt fluida tantum posset ingerere, materiam saepius copiosam tenacem, mucosam et foetidam euomeret, symptomatisque grauissimis torqueretur, quibus tandem, appetitu omni et sapore perditis, tabe emaciatus succubuit. Multas carunculas p. 18.

culas exulceratas, materia putrida corruptaque plenas, ad cardiam inuenit Noſter, quibus tota pars inferior oeſophagi infecta et gangraena deſtructa fuit, quin imo ipſum diaphragma circa foramen oeſophageum cum adiacentibus partibus ſimili labe inquinata erant. Materia quoque copioſa putrida, nigra in ipſo ventriculo paruo cum variis ſarcomatibus exulceratis detecta fuit.

p. 21. 6) Obſeruatio *duorum infantum, ex vna grauida alterius ſeptendecim dies poſt alterum partorum* a Cl. HENDRIK DE BOSCH. Femina 30 annorum d. 22 aug. 1767, puellam ſanam pariens, ex lochiis mammiſque lacte turgidis ceſſantibus, et ex abdomine ſatis tumido aliisque incommodis alium fetum, in vtero hactenus relictum, habere videbatur. Motum, in abdomine ab obſtetrice perceptum, Noſter non, niſi abdomen tumidum potuit detegere. Cum eidem nihil ſuaderet, decem diebus poſt officiis ſuis fungebatur, vſque d. 7 ſept. alium ſanum filium pareret. Cognouit ex matre, ſe ad medium fere grauiditatis tempus catamenia obſeruaſſe. Puella mortua eſt; filius vero bona hactenus valetudine fruitur. Adiicit poſtea Cl. Auctor ſimiles obſeruationes aliorum auctorum, vt inde pateret, hoc phaenomenon ſingulare eſſe.

p. 30. 7) Obſeruatio *diabetes, paucis diebus letalis*. Auctore Cl. HERM. GER. OOSTERDYK. Vir, 52 annorum, firmo et robuſto corpore, multis negotiis occupatus, copioſa emiſſione vrinae per 14 dies vexatus, d. 23 mart. 1768 Noſtrum conſuluit. Cauſſa eius ex relatione aegri Noſtro obſcura, ei cereuiſiam fortem, rubrum vinum cum mixtura condenſante, adſtringente parumque aluminoſa ſuaſit. Sed haec aeque ac doſis poſtea duplex fruſtra fuere; nec pilulis mucilaginoſis roborantibus conducentibus; diabete potius cum aliis ſymptomatibus, debilitate in-

inprimis, continuo increſcentibus paulo poſt, cum intra viginti quatuor horas decem circiter lagenas vrinae excreuiſſet, nec, dum duas non ingeſſiſſet, inter ipſam miſſionem vrinae placide exſpirauit.

8) Relatio *de peculiari inteſtini voluulo.* Auct. Cl. C. A. KLOEKHOF. Vir, 40 annorum, duro labori vitaeque generi adſuetus, tribus vel quatuor abhinc ſeptimanis dolores abdominis vagos ſentiens, iisque, in progreſſu morbi increſcentibus, et in duobus abdominis lateribus, praecipue circa vmbilicum fixis redditis, nec vllis remediis ab iisdem liberatus ſexto die obiit. Aperto cadauere, partem inteſtini ilei, profunde iacentem, ad ſex digitos admodum inflatam, coloris ſeueri rubri, ſuperius ligamento plano anguſto ita conſtrictam vidit Noſter, vt digitum vix poſſet transmittere. Proceſſus vermiformis ſupra cum hoc inteſtino per tunicam pinguedinoſam concretus erat. Hic proceſſus tandem laqueum quaſi formabat, in quo inteſtinum ileum ad confinia coli inuolutum haeſit. Potu vero ſpirituoſo hoc inteſtinum plane obſtructum fuit, poſt hanc coanguſtationem inteſtini cauitas naturalis erat, vermem quendam in ſe continens. In eiuſmodi itaque morbis dolores non tam in latere adfecto, quam potius circa vmbilicum percipiuntur. p. 37. p. 39.

9) Annotationes *ſuper effectus inflammationis inteſtini* ab EODEM. Vir, 50 annorum, euacuante ex ialappa adhibito, nec poſt eius euacuationem aluo aperta, cibisque non facile digerendis aſſumtis, vehementiſſimos dolores colicos percepit, ſub quibus tertio die poſt obiit. Cadauere poſtero die aperto, flatus ſummo cum impetu ex abdomine admodum tumido prorupere foetore ingratiſſimo: copia poſtmodum humoris flaui pellucentisque, cum purulenta materia commixti, effluxit. Inteſtina tenuia flatibus et eiusmodi humore ita diſtenta erant, vt p. 41.

etiam, apertura in iis cum acu facta, non collaberentur. Ileum inprimis gangraena destructum erat. Colligit ex his 1) ad suppurationem non tam solida, quam potius fluida requiri, nec semper ad eius genesin destructione minimorum vasorum opus esse: patere hoc ex suppuratione, in internis vel externis membranis vasculosis oborta; 2) ex inflammatione pulmonum et pleuritide, iam in suppurationem abitura, magnos, auctore HIPPOCRATE, oriri dolores; eos vero ad partem sopiri, si pus e pectore, via sibi parta, erumpat; 3) suppurationem, quarto die post inflammationem vel etiam tardius vulgo creditam, interdum citius oriri posse, si maior vel minor eius dispositio adsit, praesertim cum inflammatio in robustis citius generetur, quam effectibus suis appareat: hinc fallaciam dierum criticorum patere. 4) Intestina, flatibus ita distenta, vt vulnere, in abdomine facto, prorumpant, nec vlla vi reponenda, flatibus suis, per inflictam acum vel alio acuto instrumento, non liberari, nisi acus ad hunc finem iuste adaptatae sint, citiusque possint applicari.

p. 46. 10) Commentatio *de cultura turfi, et regeneratione minimorum surculorum, prouti in* Langstraat *inveniantur.* Auctore I. ZEILMANN, mercatore Roterodamensi.

p. 58. 11) Relatio *singularis partus, per nonnullos annos occulti.* Auct. Cl. I. BRUGMANNS. Femina 48 annorum, magnos inter dolores et foetorem, ossicula nonnulla et membranas fetus, quem ante sex fere annos vtero gesserat, ano excreuit. Catameniis postea iuste fluentibus, obstructione paulo post vrinae, inter magnos dolores hypogastrii et intestini recti, cathetere liberata, fragmenta ossea fere omnia ano deposuit, vt symptomata statim inde cederent. Intra hoc tempus iterum grauida filium sanum, adhuc viuum

vivum, enixa eſt. Colligit ex his, fetum hunc forte tubarium fuiſſe.

12) Relatio *de inuerſione vteri*. Auct. EODEM. p. 62.
Femina 29 annorum plethorica menſe iunio 1760 filium ſanum peperit; ſecundinis ab obſtetrice extractis, vterus inuertebatur, vt magnam partem extra pudenda propenderet. Hoc nulla arte reponendo, vrina non niſi catheteris ope, fluxit. Ad hunc vſque diem debilis quidem, ſed et ſana viuit, catamenia iuſto tempore celebrans.

13) Communicat Cl. DAN. RADERMACHER p 65.
quotidianas mutationes inſitionis variolarum, in ſe ipſo 1769 obſeruatas. Quae hic occurrunt, ſunt phaenomena, quouis die conſpicua. Adiicit porro inſitiones variolarum a Cl. TEN. HAAF, in Cll. VINK, patre et filio, eodem cum ſucceſſu inſtitutis. Addit tandem rationes, cur has relationes communi- p. 89.
cauerit, quae fere omnes in laudem inſitionis vergunt.

14) *Chorea St. Viti per electricitatem curata.* p. 91.
Auctore Cl. MAX. IAC. DE MAN. Puella 10 annorum, rigiditate in muſculis colli, qua caput verſus humerum dextrum tenderetur, poſt febrem miliarem relicta, omnia tandem phaenomena oſtendit, quae choreae St. Viti attribuunt, cum voce impedita: quam Noſter per electricitatem ſic curauit, vt anguſtam laminam auream, cuius extremitatibus ligamentulum ſericeum annexerat, ceruici applicaret, vt ita ligamenta ad labia poſſent coniungi atque firmari; alteram eiuſmodi laminam inferius ſpinae dorſi apponeret, ei vero catenas cupreas adiungeret. Hac methodo, per ſex circiter ſeptimanas continuata, ita, vt ter vigeſies operationem adhiberet, aegra prorſus reſtituta eſt, cum quotidie, et poſt quamlibet operationem et imminutionem conuulſionum, et emendationem vocis ſentiret.

p. 105. 15) Relatio *ſingularis in oculo ſiniſtro ſymptomatis* Auct. Cl. IOB. BASTER cum annotationibus Cl. HOFFMANN. Radiis ſolis d. 23 dec. 1764 vehementer reflexis, oculus Cl. Auctoris ſiniſter ita afficiebatur, vt tribus diebus poſt, ſine externa mutatione, obſcuritas in eo quaedam naſceretur, quae ſenſim aucta, lenteque cryſtallina albeſcente, poſtea flauo virideſcente reddita, in verum glaucoma poſt annum degeneraſſe videretur. Huic, ſuaſore Cel. ALBINO, nihil opponens d. 23 iunii 1768, cum ſoli ſe nimium expoſuiſſet, ophthalmia eiusdem oculi afficiebatur, qua breui, iuſtis medicamentis, liberatus eſt. D. 29 iunii ſubito oculum cum doloribus tumere ſentiens, emunctis naribus, ſummos et intolerabiles intra ſexageſimam paſſus eſt dolores. Sanguis poſtea ex naribus et oculi canto interno effluxit, quibus melius ſe habuit. Sanguis, e vena miſſus, craſſa conſpiciebatur cruſta inflammatoria. Faſcia comprimente poſt ſex horas deligata, glaucoma, cum nonnullis membranis et ſanguine grumoſo, extra corneam ruptam, palpebrae inferiori
p. 110. adhaerere videbatur. His, vt decet, tractatis, humoribusque effluxis, bulbus ita reſtitutus eſt, vt oculum artificialem bene poſſet applicare. Cl. HOFFMANN, exemplis fere eiuſmodi praemiſſis, effectum hunc radiorum ſolis in membranam retinam et fibras ciliares explicare anniſus eſt.

p. 116. 16) Epitome literarum a Cl. PALIER ad ſecretarium ſocietatis *circa ſingulare ouum venti* (Windei) miſſarum. Repertum eſt hoc ouum in nido gallinae, quod, vti ex adiecta icone apparet, duo, ſibi per funiculum connexa, repraeſentare videtur oua, cum tamen vnicum ſit, et in altero vitellus, in al-
p. 118. tero vero albumen contineatur. Monſtroſa adiicitur maxilla cum alueolo, in quo, icone delineatus, dens repertus eſt.

20) Com-

17) Communicatur *ſingulare meteoron*, a Cl. I. p. 119.
FLOR. MARTINET *obſeruatum*, cuius icon adiecta eſt.

18) Obſeruatio *cometae, in capite bonae ſpei* p. 121.
menſibus aprili et maio 1766 *inſtituta* a Cl. HS. EK-
STEEN.

19) Obſeruatio *de exitu veneris ex diſco ſolis, Ba-* p. 123.
tauiae d. 4. *iunii* 1769 *in obſeruatorio inſtituta*, a Cl.
IOH. LAUR. MOHR.

20) Obſeruatio *de exitu Mercurii ex diſco ſolis*, p. 131.
d. 10 *nou.* 1769 *ibidem facta*, ab EODEM.

21) Deſcriptio *partium genitalium praeternatu-* p. 135.
*ralium viri cuiusdam in xenodochio Zwollenſi, cum ad-
iecto inſtrumento vrinam excipiendi et ſeruandi.* Auct.
Cl. IO. VELTKAMP. *Io. Ioele* 28 annorum, fir-
mi corporis habitus et mediocris ſtaturae ab in-
eunte aetate ad ſexum ſequiorem relatus, a quo
etiam nomen accepit; a Noſtro, cum barba nigra
prodiret, omnibusque fere riſum moueret, exami-
natus eſt. Vmbilicum non iuſto loco, ſed ad oſſa p. 136.
pubis muſculis abdominalibus a naturali via aberran-
tibus, oſſibusque pubis non ſibi inuicem annexis in-
venit, vbi herniam vmbilicalem mentiebatur, ſub
quo duo aderant foraminula, quibus vrina effluxit.
Subſequitur penis breuiſſimus cum glande parte-
que praeputii. Scrotum naturali maius in
vtroque margine pilis ornatum, cum duobus teſticu-
lis. Inter herniam et penem foramen detegitur, ex
quo ſemen emittit. Valde trahitur ad ſexum ſequio-
rem. Haec figura adiecta delineantur aeque, ac
peculiare inſtrumentum, in quod vrina excipitur,
ibidem per tempus ſeruatur, et tandem canali ex-
cernitur. Compoſitum eſt ex tenui lamina cu-
prea, et continet vrinae vnius ponderis quantitatem.

II.

Neue Bemerckungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarztneykunſt und Medicin von IOHANN CHRISTIAN ANTON THEDEN, *Königl. Preuſsl. dritten Generalchirurgus, Regimentsfeldſcheer des hochlöbl. Artilleriecorps und Mitglied der Römiſchkaeyſerlichen Academie der Naturforſcher. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai,* 1771. 8. *Seiten* 208. *ohne Zueignungsſchrift, Einleitung, Erklaerung der Vignette und Jnhalt.*

i. e.

Nouae annotationes atque obſeruationes, chirurgiam et medicinam ſpectantes. Auctore IOANNE CHRISTIANO ANTONIO THEDEN.

Multa lectu digna hunc librum, cuius ſolummodo ſummam indicare noſtri inſtituti ratio fert, continere, noſtrumque Auctorem, qui per triginta et quod excurrit annos, Boruſſicis copiis, vt medicus et chirurgus, inſeruiit, theoriam experientia accurata ac firma ſtabilitam hic tradere, ex ſingulis, de quibus videamus, intelligent Lectores. Ex introductione, quae huius inſtituti rationem reddit, vidimus, Cl. THEDEN operationes chirurgicas, quantum licet, non praeter ſummam neceſſitatem admittere; rurſus aquam frigidam ad inflammationes diſcutiendas, nec non ad alios externos morbos profligandos ex voto adhibuiſſe; pariter et medicamenta ſaturnina a GOULARDO *) laudata, iam diu ante eum vtiliter applicuiſſe.

In

*) v. comm. noſtr. prim. decad. ſupplem. I. p. 113.

In prima ſectione diſſeritur de magna vtilitate p. 1.
inuolutionum extremitatum cum faſciis. Vſus eſt iis Noſter cum felici ſucceſſu, venaeſectionibus male ſuccedentibus: porro in hydropicis affectibus, varicibus, in vlceribus phagedaenicis, in vulneribus atque contuſionibus, in aneuryſmate ſpurio, in gangliis; ac tandem ad ſedandos dolores, ſi operationes chirurgicae extremitatum inſtituantur.

In laeſione tendinis muſcipuli bicipitis, ex ve- p. 6.
naeſectione minus bene ſuccedente orta, ac cum dolore ac inflammatione coniuncta, quid quod ſuppuratione, faſcias ita applicat: circumuoluit nimirum ſingulum digitum, faſcia vnum digitum lata ac vlnam dimidiam longa, tum longa faſcia cum ſpiralibus gyris inuoluit reliquam extremitatem ſuperiorem. Vulneri, ſi adeſt, linteum, vnguento albo camphorato illitum, imponit.

Eadem ratione, addito interno reſoluentium, p. 8.
euacuantium et diureticorum remediorum vſu, quorum effectus, faſciis applicatis, inprimis validi erant, pertinaciſſima pedum oedemata, imo aſcitem Noſter ſanauit et hic exemplis illuſtrauit.

Miramur porro vtilitatem inuolutionum, a p. 18.
Noſtro laudatam, in vulneribus puris ac contuſionibus. Quo validiores ſunt contuſiones, quo grauiora ſint vulnera eorumque ſymptomata, eo certiorem effectum ſalutarem exſpectat Noſter ab inuolutionibus, atque nonnullis quoque exemplis illuſtrat.

Aneuryſma, per brachium totum diffuſum, ac p. 20.
poſt venaeſectionem relictum, inuoluto ſingulo digito et toto brachio vſque ad humerum per decem hebdomadas, diſcutiebatur vſque ad paruum nodum, qui, cum paululum increſceret inuolutionibus ſepoſitis, denuo inuolutus, quoque euaneſcebat.

cebat. Omnino aneuryſmata putat melius faſciis coerceri poſſe, quam ſola compreſſione.

p. 28. Hae faſciae nec nimis laxandae, nec nimis tendendae: illud ſperatum effectum inanem reddit, hoc humorum motum nimium imminuit. Faſciae antea humectatae laxe ſunt imponendae, ac continuo ſunt humectandae. Iis enim ſiccatis, faſciae remittunt. Nullus locus ſit a faſciis liber. Quilibet enim locus, faſciis non tectus, tumet et dolet. Faſciis applicatis ceſſat dolor cum reliquis ſymptomatibus, atque tumor. Faſciae, tum relaxatae, denuo ſunt circumducendae et intendendae. Faſciarum porro ſit aequalis firmitas, alias locus, vbi faſcia laxius eſt applicata, dolet et tumet atque effectus non reſpondet votis. Quod ſi vero cutis vbique aequalem effectum in partibus, quas circumdat, ſentit, oſcillatio fibrarum et vaſorum augetur, affluxus arcetur atque extrauaſati humores diſcutiuntur et ad circulum humorum reducuntur. Quapropter nec abſonum Noſtro videtur, internis ſugillationibus abdomen inuoluere, ſi muſculi eius ita nimis debiles ſint, vt extrauaſatorum humorum receptioni nequeant inſeruire.

p. 29. In altera ſectione remedii topici, quod aquam vulnerariam ſeu ſclopetariam ſuam appellat Noſter, vtilitatem declarat, additque annotationem de repoſitione luxati brachii. Aqua haec compoſita eſt ex aquae acetoſae, ſpiritus vini rectificatiſſimi, ana libris tribus, ſacchari albi finiſſimi libra vna, ſpiritus vitrioli vnciis decem. Laudatur haec aqua in contuſionibus ac ſugillationibus, tumoribus, luxationibus et oſſium fracturis, in vulneribus cutaneis, in ſedandis haemorrhagiis, in aduſtis. Applicatur haec aqua vulneraria calide et frigide ac linteamina continuo ſunt humectanda, ne, iis ſiccatis, dolores orian-

oriantur. Relinquit haec aqua mucosi quid in cute, quod aqua vegetominerali GOULARDI abluendum est, eamque interdum cum aqua vulneraria coniungit. Rursus aquae vulnerariae, si nimis siccat, vnguentum nutritum, in adustis e. gr., iungit. De luxatis partibus reponendis nonnulla monet, suamque methodum describit, quam vero hic tradere breuitas non permittit. Haemorrhagias sedauit arteriosas, amputatione mammarum, testiculorum, haec aqua. In adustis lenit dolores ac impedit suppurationem.

In tertia sectione de sedandis haemorrhagiis arteriosis sine ligatura, amputatione peracta, extirpatione mammarum ac tumorum, castratione ad cavendos motus epilepticos, qui saepe per ligaturam excitantur, agitur. Praefert itaque Noster ligaturae forcipique (*valet à batin f. bee à batin*) f. melius agarico, quem prorsus reiicit, simplicem arteriae deligationem cum copiosis linteis carptis atque pulvillis, emplastris glutinantibus, quoniam sese arteria ipsa retrahit atque contorquet. p. 41.

Haemorrhagias itaque, castratione instituta, sedat Noster agarico, quoniam per ligaturam hic epilepticos motus, per totam vitam continuantes, excitatos vidit. His miseris hanc operationem suadet: superior testiculi pars aperiatur, pars epididymidis ex annulo abdominali dependens ac cum vicinis partibus concreta separetur, ac quantum licet, reponatur in abdomen. Ita tensionem epididymidis ac nerui potissimum, a qua deriuat Noster epilepsiam, quae ligatura excitatur, tolli posse censet. p. 52.

Exempla, hanc ipsam rem illustrantia, a Nostro hic proposita, cum breuiter repeti nequeant, Cl. Auctoris conclusiones tradamus, quae, ex his deri- p. 58.

vantur

vantur atque in eo cernuntur, vt haemorrhagiae non adeo periculosae iam videantur ac antea, eaeque sine ligatura tutius compesci possint ; porro vt euitentur epileptici motus, ligatura non admissa. Vndecim aegri a Nostro sunt castrati, omnes sanati, nec vlla incommoda habent, de quibus conquerantur. Generationi inseruiunt, et vir ob hydrocelen castrandus Cl. Auctori asseuerauit, se esse ad hoc opus generationis recte perficiendum aptiorem ac antea.

p. 59. In quarta sectione ad haemorrhoides saccatas Noster progreditur. Pertinent hae ad haemorrhoides coecas internas, quae saepe saccos s. nodos magnos sistunt, ac in orificio ani apparent. Eiusmodi tumores, nisi sponte sese aperiunt, suadet Noster, sine periculo exstirpare, nec timet de fistulosis incommodis.

p. 63. In quinta sectione de haemorrhagia arteriae intercostalis laesae sedanda, sine ligatura atque compressione a Nostro disputatur. Ob inflammationes atque mortem, quae secuta esse Noster vidit, omnes methodos de ligatura arteriae intercostalis Noster reiicit, insimulque Cl. LEBERI *) methodum, quae Nostro Cl. GERHARDI methodus emendata videtur. Ac suadet instrumentum, bis a Nostro felici cum successu adhibitum, vt folium myrti paruum formatum, ab vna parte acutum, ab altera parte autem obtusum, quocum dissecatur penitus arteria. Tum alio instrumento similis formae ab vtraque parte autem obtuso reponitur arteria ad pollicem fere dimidium ac linteis carptis seu agarico firmatur.

p. 65. In sexta sectione de inflammatione pedis, cartilaginibus vexatis agitur. Ligamenta capsularia in articulis, humoribus extrauasatis in iis collectis posse

*) v. comm. nostr. Vol. hoc p. 33.

poſſe feliciter aperiri, modo aeris acceſſus impediatur, ac tempus diſcuſſionis, maturationis et inciſionis bene diſtinguatur, probat Noſter exemplis.

In ſeptima ſectione laudatur vtilitas embrocharum in anchyloſi, ac varia de altitudine, a qua guttulas in laeſam partem cadere oporteat, ac de compoſitione illarum aquarum diſſeruntur. p. 71.

De vulnere capitis caeſo in oſſe occipitis cum fiſſura oſſis parietalis dextri, in ſectione octaua exemplum narratur, quod non ſanatum eſt; cui adiungitur aliud ſimile, quod trepanatione, duobus annis poſt laeſionem externam capitis feliciter adminiſtrata, ac lamella, quae ſeparata erat interne a cranio, atque durae matri impoſita, eiecta, prorſus ſanitati reſtituebatur. p. 73.

Nona ſectio pertractat trepanationem aliarum partium corporis humani praeter cranium. Putat enim Noſter hoc remedio, quod et in ſpina ventoſa atque carie oſſium adhibetur, et tum vti poſſe chirurgos, ſi globuli plumbei oſſa petierint, ac impreſſionem atque contuſionem effecerint. Perforandum enim tum locum contuſum atque impreſſum eſſe Noſter cenſet. p. 78.

De vnitate oſſium ſoluta, iis caeſis aut exfoliatis, decima ſectio obſeruationes tradit. Portione oſſis frontis abſciſſa, vulnus a Noſtro purgabatur, quo vnito, emplaſtris glutinantibus, puluillis ac faſcia capitali reflexa cum duobus capitibus firmato, intra octo dies aeger reſtitutus eſt. Item aeque feliciter, digito prorſus diſciſſo, Auctori ſucceſſit, relicta tamen eius rigiditate. p. 81.

p. 84. Sectio vndecima continet vulnus sclopeti per genu, quod exfoliationem magni fragmenti ossis femoris minabatur, a Nostro per compressionem impeditam, ita, vt sine inflammatione, suppuratione atque exfoliatione aeger sanaretur.

p. 87. Cl. Auctor in duodecima sectione in sclopetorum vulneribus porro suadet, musculis secundum longitudinem laesis, eos secundum latitudinem discindere. Id quod exemplis, vbi musculus deltoideus ac glutei fuerint laesi, probat.

p. 91. In tertia et decima sectione deligationem vulnerum sclopetorum, proelio finito, persequitur, ac suadet cum aliis emollientia ac dilatationem, quae, si opus, plane non est differenda, ac dissuadet siccam atque spirituosam deligationem.

p. 94. Quarta et decima sectio continet remediorum saturninorum, a Cl. GOULARDO *) laudatorum, effectus salutares in inflammatione, discussione, suppuratione, scabieque. Nec non GOULARDI cereos Cl. Auctor longe praefert Darandianis. Quemadmodum autem Goulardiana remedia maxime vtilia censet Cl. Auctor: sic ea non noua iudicat, vti ex superioribus intelligitur, ac cum cautione adhibenda suadet.

p. 97. Quintae et decimae sectionis summa in herniis incarceratis atque singulari omenti hernia cernitur. Laudat Noster in iis cum aliis aquam frigidam atque glaciem, nec non hanc iuuasse obseruauit, si illa inefficax fuerit. Applicuit per horam quater aquam frigidam, et vidit citos atque tardos effectus salutares, prout incarceratio diu siue breuiter durauisset.

De

*) v. comm. nostr. prim. decad. supplem. I. p. 113.

De cartilagineis concretionibus in genu quaedam in ſectione decima ſexta leguntur. Oriuntur hae fortaſſe, vti Noſtro videtur, ex glandula preſſa, fortaſſe et ex aliis cauſſis. Suadet tum Noſter exſtirpationem huius tumoris, eamque duobus exemplis confirmat. Liberi aeris autem acceſſus, vulnere facto, omni modo eſt impediendus. Quam ob cauſſam patellae laeſae amputationem diſſuadet, atque minus huius operationis felicem euentum, quem Noſter vidit, ex liberi aeris acceſſu in vulnus deriuat. p. 106.

In decima ſeptima ſectione de doloribus, poſt fracturas oſſium in corpore relictis, qui tempeſtatum viciſſitudine potiſſimum excitentur, Noſter agit. Ipſe Noſter hos tulit, eosque adſcribit preſſioni calli, in quo impetum humorum tum maiorem ſenſit. Probabile quoque Noſtro videtur, hos dolores non prius ceſſare poſſe, quam ſi partes laeſae penitus ſeparatae, et eorum loco nouae formatae ſint. Quapropter quoque nullum horum dolorum remedium notum eſſe cenſet. Externe partem faſciis cum ſucceſſu inuoluit, etiamſi interni dolores remanſerint. p. 109.

Decima octaua ſectio tractat nonnullos errores medendi ex minus recte formata diagnoſi. Spontaneam atque aegro inſciam alui et vrinae excretionem, ex paralyſi ſphincterum profectam, et poſt lapſum in ſpinam dorſalem ab equo ortam, ſimul pedibus motu deſtitutis, curare voluerunt ſine cognitis cauſſis. Abſceſſum porro ad anum, ex nimio refrigerio huius partis, cum totum corpus inſigniter calebat, aperuerunt; ſed nimis parua inciſio retardabat vulneris ſanationem. p. 111.

Decima nona ſectio ſuperuacanea atque noxia instrumenta chirurgica recenſet. Forceps, quo arripi- p. 120.

arripitur arteria, (*valet à batin* feu *bee à batin*) plane a Noftro reiicitur, vti iam ex fuperioribus patet *). Caetera, cum iam a plerifque inutilia iudicata fint, praeterimus, ac miramur, Cl. Auctorem non plura reiecifſe inftrumenta chirurgica, inprimis nimis compofita, quae plane nullam merentur attentionem.

p. 217. In vigefima fectione vulneris articularis manus ac brachii, vbi vlnae capitulum abfciffum erat, enarratur exemplum.

p. 130. Sectio vigefima prima tractat tumores et morbos rheumaticos. Dolor eft fignum pathognomonicum rheumatifmi, eumque a catarrho diftinguit. Hic in glandulis mucofis, ille in tenerrimis vafis lymphaticis neruofarum partium fedem fuam figit. Rheumatifmum cum dolore, febre, rubore et tumore partis appellat Nofter calidum: qui prodit lympham biliofam, purpuraceam aut aliam acrimoniam, facileque in cholericos cadit: rurfus in internis aeque, ac externis corporis humani partibus oritur. Rheumatifmum cum dolore et tumore, fine rubore tamen et febre nuncupat frigidum. Hunc occafionem dare poffe fteatomati, farcomati, farcoceli aliifque tumoribus et vlceribus, inprimis fteatomati quod a decubitu materiae rheumaticae atque arthriticae proficifcatur, Nofter putat, atque nonnullis exemplis illuftrat. Methodum medendi igitur dirigere debet indoles huius morbi frigida atque calida.

p. 142. Vigefima fecunda fectio praedicat vtilitatem aquae frigidae in externis morbis, nec non internum eius vfum in variis morbis. Vfus eft Nofter aqua frigida in oedemate extremitatis totius inferioris ex clauo, imprudenter exfciffo, qui valde poftea premebatur, dum totam hanc extremitatem

fac

*) v. fupra p. 607.

ſaepius aqua frigida imbutis linteis felici cum ſucceſſu humectabat, praemiſſa venaeſectione. Febribus malignis laborantibus aegris in ſumma debilitate, mortem appropinquantem indicante, aquam frigidam non fruſtra adhibuit, eorumque abdomen, extremitates ſuperiores ac inferiores humectauit, faciemque lauauit. Quo facto, propinauit analeptica, quae ſequebantur ſudores, aegris ſemper ſalutares. Multi, hoc remedio vſi, ſanati, qui vero eius vſum neglexerunt, mortui ſunt. Pariter melancholiam et interne maniam aqua frigida curauit.

Aeque felici ſucceſſu eius interno vſu interdum ſolo, interdum additis nonnullis remediis paucis, malum hypochondriacum, ventriculi debilitatem, ructus, vertiginem, atque maniam ſuſtulit. Laudat igitur cum Cll. HAHNIO, SCHWERDTNER et BERGIO vſum aquae frigidae. p. 149.

In vigeſima tertia ſectione traditur methodus medendi febribus quartanis. Rhabarbarum propinat Noſter his vt digeſtiuum et euacuans. Vt digeſtiuum addit terreum et ſal mirabile GLAUBERI; euacuandi cauſſa coniungit cum rheo ipecacuanham et ſal medium, hyemali tempore tartarum emeticum. Per tres hebdomadas ita continuat, dein mane et veſperi integritatis diebus, ſex vel octo grana ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis cum aequalibus partibus ſalis mirabilis GLAUBERI et abſorbentis cuiusdam exhibuit per quatuor vel ſex dies, cui pulueri ſaepe numero ceſſit febris. Recidiuas poſtea arcet cortice, quem ſuadet phthiſicis in infuſo frigido, ac cui vim reſorptioni officiendi atque reſiſtendi in magnis vulneribus tribuit. p. 156.

p. 159. In vigeſima quarta ſectione tetanus ſ. ſpaſmus maxillae inferioris conſideratur. Animaduertit Noſter tetanum hunc iis non facile contigiſſe, qui puro ac libero aere viuerent. Quapropter etiam ventilatores inuenit, iisque magno cum fructu vſus eſt. Opium praeterea optimum contra hunc eſſe remedium cum aliis Noſter fatetur.

p. 162. De incommodis infantum ſaepe letalibus ex abvſu alimentorum, laeſam digeſtionem indeque denegatam nutritionem inducentium, exempla nonnulla in vigeſimaquinta ſectione Noſter collegit, ac methodum ſuam medendi inſimul addidit. Poſtquam itaque de lacte matrum ac nutricum varia propoſuerat, et iuſtam diaetam omnino infantilem examinauerat, exempla infantum, ex nimio et peruerſo vſu alimentorum laborantium, in primis aeque, ac in ſecundis viis,
p. 167. enarrat. Inter medicamenta, a Noſtro iis propinata, et ſolutionem aquoſam mercurii dulcis inuenimus. Mercurii duas vncias, nimirum accurate triti, coquit per duos dies cum aquae duabus menſuris (*Quart*) in balneo arenae, dein colaturae dimidiam menſuram, (*Quart*), in qua duae drachmae mercurii ſolutae erant, diuidebat in 120 partes aequales, ac mane et interdum veſperi vnam doſin propinabat. In obſtructionibus glandularum inprimis hoc vtile medicamentum iudicatur a Noſtro.

p. 174. Communicat hic Cl. Auctor in vigeſima ſexta ſectione remedia nonnulla certa in quibusdam morbis; vt in oedemate pedum, angina, in gingiuarum laxitate, bronchocele, panaritio, partibus frigore tactis, in eryſipelate et ophthalmiis inflammatoriis, ſeroſis et vlceroſis, hypopioque. Cum vero iam diutius hic immorati ſimus, ac noſtri inſtituti ratio ferat, Lectores nobis ad librum ipſum ſunt amandandi

dandi, ac quaedam breuiter ſolummodo a nobis hic poſſunt notari.

Oedemati prodeſt faſciarum applicatio, a Noſtro ſupra *) iam laudata, quae internorum remediorum vſum reddunt efficaciorem. p. 177.

In diſcutienda angina laudat Noſter aquam ſuam vulnerariam **) cum aequali parte aquae ſimplicis pro gargariſmate. Ad roborandum, tonſillarum ſuppuratione abſoluta, certa remedia Noſter iudicat, ſuam aquam vulnerariam, acetum lithargyrii aqua dilutum, ac phlegma aluminis. p. 180.

Laxitatem gingiuarum aqua vulneraria Cl. Auctoris cum melle roſarum, rurſus phlegma aluminis iuuat. p. 182.

Panaritii ſedes Noſtro videtur quadruplex: in epidermide nimirum, contextu adipoſo, tendinum vaginis, ſeu tandem in perioſtio. Mox ab initio panaritium tollit crebrior applicatio aquae vulnerariae Noſtri, ſeu aquae vegeto mineralis. p. 185.

Pari modo vtilis eſt aqua vulneraria Noſtri in pernionibus. In partibus frigore tactis, niuem ac aquam frigidam certiſſima praedicat remedia. p. 187.

In phlegmone et eryſipelate non timet Noſter de epithematibus humidis, quae tepida ac frigida, prout opus eſt, hic ſuadet. p. 188.

In vigeſima ſeptima ac vltima carcinomatum mammarum, cum et ſine amputatione curatorum, exempla collegit. In amputatione mammarum plane reiicit ligaturam arteriarum mammariarum, eique agaricum ac lintea carpta praefert. Cicutam, remedium anticancroſum a STOERCKIO certiſſimum iudicatum, licet omnem cautionem adhibuit, et ipſum Viennenſe extractum cicutae propinauit p. 194.

 aegris,

*) v. p. 605.
**) v. ſupra p. 606.

aegris, omni ex parte obſequioſis, non inter certiſſima remedia refert.

p. 197. Mulier, per viginti et quinque annos, ſcirrhos duos in mamma ſiniſtra prope papillam ſine incommodo habuit, ab externa cauſſa ortos. Poſtea autem dolores apparebant, et ſcirrhi, in carcinoma mutati, variis remediis antea tentati, rumpebant. Hoc itaque carcinoma apertum Noſter vegetabili diaeta, et crebrioribus euacuationibus cum pulpa tamarindorum in ſero lactis ſoluta, interne, et oleo myrrhae per deliquium externe, felici cum ſucceſſu ſanauit.

III.

Diſſertatio anatomico phyſiologica de valuula EUSTACHII., Praeſide IOANNE FRIDERICO LOBSTEIN, Anat. et chir. P. P. O. Defenſa a *Io. Mich. Dioboldt*, Argentinenſi. Argentorati. 1771. 4. p. 26.

Cum haec et ſequens diſſertatio, et ob inſtitutorum experimentorum facilitatem, naturaeque imitationem, et ob diligentiam, in diſquirenda partium ſtructura adhibitam, nobis non omnino diſplicuiſſent: eas Lectoribus noſtris breuiter indicare non dubitauimus. Enumeratis auctoribus, qui valuulam Euſtachianam, quam valuulam magnam melius dici poſſe putat Cl. Auctor, primum deſcripſerint, icones eiuſdem dederint, vel eam prorſus in dubium vocauerint; atque nonnullis dubiis verbis definitis, ipſam valuulae, vti in fetu perfecto conſpicitur, figuram, ſitumque naturalem deſcribere
p. 9. aggreditur. Aperta nimirum iuxta longitudinem vena caua ſuperiore vſque ad diaphragma, oriri vidit ſtrigam eminentem, tenuis originis, quae, ſub quali

ouali foſſa progrediens, ſenſim in membranam expanſa, et ad ſuperiorem auris partem veniens, gracili fine, e regione ſuae originis deſinat. Hoc aſpectu eam duo arcus formare dicit, alterum ad oſtium venae cauae inferioris, ſemicirculo aequalem; alterum cauum auris reſpicientem, illo minorem. Separata ſcalpello tunica ſinus interiori, p. 12.
muſculoſae valuulae fibrae reperiuntur, quae, cum ex ima circuli oualis parte, tum ex calloſo orificii auricularis circulo oriuntur, et in ſtrigam illam confluunt. Vt vſus huius valuulae clarius pateret, p. 13.
vena caua ſuperiore aurisque parte ſuperiore inciſis, et ſanguine purgatis, atque corde in naturali ſitu manente, venae cauae inferiori in abdomine ſiphonem immiſit, eumque ſenſim aqua repleuit, quae, conuexam valuulae EVSTACHII partem in cauum auris intrudens, illud introiit; flumine vero aquae intermiſſo, limbus valuulae conuexus redditus venae oſtium clauſit, impediitque, quo minus aqua reflueret. Vſum igitur valuulae primarium in eo conſi- p. 15.
ſtere exiſtimat Cl. Auctor, vt cauitatem auris ſinusque ab oſtio venae cauae diſcernat. Quod quidem in cadauere, cum fibrae omnes laxae ſint, exacte perfici negat. Sanguinem vero venae cauae ſuperioris per hanc valuulam, ne in cauam inferiorem ruat, impediri, tum ſolum concedit Auctor, cum illa venae oſtio appreſſa ſit; ea enim eleuata, illud omnino fieri poſſe putat, niſi vis ſanguinis, ex caua inferiore venientis, maior id prohibeat. Qua in re ab aliis anatomicis diſſentit. Alium vſum, ex quo p. 16.
conſenſus, qui ſit inter valuulam illam et foramen ouale, pateat, colligit eſſe in eo, quod illa cum cauae oſtii inferiori parte tubum quaſi longiorem formet, quo vehementius ſanguis in foramen ouale mittatur. Id quod cum ex praeſentia et defectu, incremento et decremento, harum partium

congruente inter ſe, tum ex ſitu earum et actione fibrarum demonſtrat, obiectionemque, quae ex contractis fibris oriri poſſit, refutat, et denique, tempore diaſtoles incipientiſque ſyſtoles ſanguinem ex dextra aure per foramen ouale fluere, contendit.

IV.

Diſſertatio inauguralis anatomico phyſiologica de foramine ouali. Defenſa a IOH.-MICHAEL DIOBOLDT, Argentinenſi. Argentorati. 1771 4. pag. 30.

Ex ſcribendi ratione, ipſiusque Auctoris verbis et coniunctione, quam haec cum priori diſſertatione habet, vtramque dirigente Cl. LOBSTEINIO propoſitam eſſe, colligimus: nos igitur praecipua momenta recenſere hic conabimur. Fatis foraminis oualis eiuſque valuulae enarratis, Cl. Auctor harum partium deſcriptionem, et ex fetu, et ex adul-
p. 10. tis deſumtam, exhibet. Quapropter ſepto interauriculari, annulo ouali, foramine ouali et eius valuula, quae in anteriore aure conſpiciantur, nominatis, in aure poſteriori conſpici affirmat, valuulam ex coniunctione membranae dextrae et ſiniſtrae auris enatam, eamque cum ſepto in horizontali linea progredientem, et cuius duo cornua, alterum ſuperius,
p. 13. alterum inferius, conſpiciantur. Ex eo, quod in praecedente diſſertatione inſtituerat, experimento repetit, aquam per foramen ouale in aurem poſteriorem fluxiſſe. Praeterea autem per venas pulmonales auri poſteriori immiſſa aqua, non aurem dextram intrare potuit, niſi magna vi adhibita. Sepa-
p. 15. rata interiore ſinuum membrana, fibrarum duplex ſtratum, alterum validum, ad dextram annuli oualis partem tendens; alterum tenuius, ſiniſtram eiuſ-

dem

dem oram petens; ex calloſo circulo, in vtraque aure ſimili fere modo progredi videbat. Spatium, quod haec fibrarum ſtrata repleat, in anteriore aure occupare fibras, ex poſteriore aure venientes, et ad valuulam Euſtachianam tendentes; in poſteriore vero directionis variae et complicatas fibras. Sic effici in anteriori ſinu columnam ſuperiorem craſſiorem, inferiorem tenuiorem. Valuulae fibras a dextra circuli oualis parte oriri, eamque ſuperius et inferius ita diſponere, vt ſemilunaris fingatur et efformetur. Phyſiologorum de harum partium vſu ſen- p. 19.
tentias refert, reiectisque caeteris, Haruaeanam amplectitur, ſtatuitque ideo has partes adeſſe, vt tempore dilatationis et initio contractionis auricularum ſanguis in aurem poſteriorem emittatur. Quod p. 27.
ipſum conſenſum harum partium cum valuula Euſtachiana, de quo in ſuperiori diſſertatione dictum eſt, quoque confirmat, atque ex obliquo ſanguinis influxu, cur in fetu perfecto foramen ouale ſuperius apertum reperiatur, patere arbitratur.

V.

IOHANNIS ANTONII SCOPOLI S. C. R. et Ap. M. Conſil. Mineralogiae Prof. etc. Flora Carniolica, exhibens plantas Carniolicae indigenas, et diſtributas in claſſes, genera, ſpecies, varietates, ordine Linnaeano. Editio ſecunda aucta et reformata. Impenſis I. P. Krauſii, Bibliopolae Vindobonſ. 1772. 8. mai. Tom. I. alph. 1. pl. 10. Tom. II. alph. 1. pl. 9. tab. aen. 65.

Primae editionis recenſionem ſuo tempore *) dedimus; haec autem, non modo multum aucta, ſed

*) v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 415.

ſed etiam plantarum iconiſmis perfectior reddita fuit; praeterea naturalem, quem antea elegerat Cl. Auctor, ordinem, ideo cum Linnaeana methodo commutauit, quia, vt Floriſta, quaeſiturus claſſes naturales, enormes ſaltus facere, et vnicum genus integram familiam quandoque conſtituere debeat, pleraque etiam herbaria eo ordine diſpoſita ſint, et Floriſtae praecipua cura ſit, non eligere claſſes, ſed plantas ſuas bene deſcribere, et probe determinatas ad genera propria referre. Haec omnia egregie praeſtitit Cl. Auctor. Praemiſit vbique generum characteres, eorumque ſcriptores, ADANSONIUM quoque notauit, et cuilibet ſuum reddidit inuentum, paſſim etiam eoſdem reformauit, et genera aliter conſtituit. Synonyma ſelecta, nomina triuialia Ill. LINNAEI, loca natalia ſollicite annotauit, praeter ſpecifica nomina, quae characteres diſtinctiuos ſecundum recentiorum methodum inuoluunt, ſpecierum etiam diagnoſes appoſuit, et deſcriptiones perfectas, non ſolum rariorum, ſed et vulgarium plantarum addidit, vno verbo, omnia egregie perfecit, quae a Floriſta vnquam deſiderari poterant.

Licet autem in plurimis LINNAEUM ſecutus fuerit, eiuſque methodum, genera et ſpecies plerumque retinuerit; aliquando tamen ab Eodem receſſit, aliorum, et inprimis TOURNEFORTII nomina generica ſubſtituit, genera nonnulla vel aliter et accuratius definiuit, vel noua ſtabiliuit. Species plures ad alia genera amandauit, multasque pro varietatibus propoſuit. Quo itaque conſtet, in quibusnam a duce, quem elegerat Cl. Auctor, praecipue receſſerit, plantasque nunc nominauerit, coniunxerit et ſeparauerit, primaria annotemus.

Tom. I. p. 405. In *Didynamiis gymnoſpermis* ſubdiuiſionem, non a calice quinquefido, cum per gradus inſenſibiles dege-

degenerent in labiatos, ſed a germinibus, vel corona villorum, e corollae tubo naſcentium, tectis, vel eadem deſtitutis, deſumſit: hinc etiam e. g. *Chamaepitidin* non *Teucrii*, ſed cum HALLERO *Bugulae* ſpeciem conſtituit: *Teucrium* enim germina nuda, *Bugula* vero eadem corona villorum cincta habet; *Chamaepitys* eodem ornatu incedit, et baſis tubi corollae dilatata, et capſulae inſtar ſeminibus circumpoſita, eandem *Bugulae* potius, quam *Teucrio* iungit.

Tetradynamiarum characteres eſſentiales, in prima editione, ex circumferentia diſci nectarei, e qua ſtamina prodeant, deſumſerat Cl. Auctor; cum vero haec nota nimis ſubtilis ſaepe eſſet, veraque diſcrimina in varia ſtructura fructus natura collocaſſet, priorem characterem prorſus omiſit, et TOURNEFORTIUM, qui fructus anatomen optime tradidit, ſecutus eſt; hinc ſcripſit: Tom. II. p. 1.

Siliculoſas in genera diuidunt valuae ſepto parallelae aut contrariae, mono- aut polyſpermae, emarginatae vel integrae, ſtyliferae aut muticae, ſepto diſtinctae aut nullo. Siliquoſarum vero eſſentias genericas ſuppeditant calyx erectus aut patens, ſiliquae figura, valuae rectae, aut reuolutae. Agaricos praeeunte LINNAEO, in edit. I. ex pilei figura determinauerat, hoc vero infidum diſcrimen eſſe, poſtea inuenit, illumque ordinem elegit, quem ſola ſtructura et habitus ſuppeditaret. Attendendum enim eſſe monuit, *an fungus naſciturus, volua tectus, an nudus ſit, an mori incipiens putreſcat, vel exſiccatus perſiſtat contractis fibris, an eius ſemina decidant, aut diffluant, vel explodantur; quaenam ſit proportio caulis ad pileum, quae pilei fructificantis figura naturalis, qui denique lamellarum ſitus, numerus, figura, diſpoſitio, vita; quibus omnibus in quolibet indiuiduo bene obſeruatis, ſpes erit naſcituram aliquando perfectam in his hiſtoriam.* T. II. p. 19. T. II. p. 414.

Nomi-

Nomina generica, a Cl. TOURNEFORTIO et aliis adhibita, ab Ill. LINNAEO autem reiecta, bono conſilio ſaepe reſtituit, vt ſunt:

Limnopeuce.	Sphondylium.	Tithymalus.
Morocarpus.	Ros ſolis.	Caryophyllata.
Bonarota.	Lapathum.	Populago.
Linagroſtis.	Onagra.	Bugula.
Aquifolium.	Chamenerion.	Calamintha.
Rapunculus.	Thymelaea.	Caſſida.
Stramonium.	Moſchatella.	Squamaria.
Belladonna.	Hypopithys.	Ketmia.
Groſſularia.	Knavel.	Vulneraria.
Peruinca.	Tunica.	Caltha.
Kali.	Oxys.	Balſamina.

et quae ſunt alia. *Onopordon* praeterea *Acanos* dixit, quo nomine plantam et olim THEOPHRASTUS, et nunc ADANSONIUS propoſuit. *Rhinanthum* mutauit in *Mimulum*, et *Hypochaerin* appellauit *Achyrophorum*; prius nomen ex PLINIO, poſterius ex VAILLANTIO repetierat ADANSONIUS.

Verum mittamus nomina, ad res ipſas perueniamus, et genera quaedam, vel curatius definita, vel
Tom.I. noua ratione conſtituta, commemoremus. Ex *Panicis*,
p. 52. *Sanguinale* et *Dactylon* a LINNAEO dictis, duce HEISTERO, *Digitariae* genus conſtituit, illudque inprimis ab *Andropogone* glumis muticis differre monuit.
p. 63. *Sesleriae* genus, in priori editione conditum, denuo retinuit, illudque non tam *Airae*, quam *Phleo* po-
p. 63. tius proximum eſſe aſſeruit. Proprium *Airae* characterem a calice bifloro haud deſumi poſſe, vel exinde patet, quia et quaedam *Auenae* ſimilem habent, et *Aira coerulea* vni - et quinquefloros gerit. Hinc ea Cl. Auctor ad hoc genus retulit gramina, *quorum ſpiculae conſtant receptaculo ſuſtinente flores plerumque binos, biglumi calice, binisque petalis compoſitos,*

positos, quorum vtrumque muticum est, aut vnicum aristatum, arista minime tortili; praeterea huic generi proprium est, habere flores hermaphroditos, petalum vnum, absque duplicatura, et germen, duabus squamulis nectariferis vallatum. De *Bromo* scripsit: *Gramina polyantha mutica ab aristatis diuidere potui; Festucas vero et Tritica, a Bromis notam aliquam, quae vere distinguat, inuenio nullam. Coniungam itaque haec tria genera in vnum, cum idem sit, siue ordines accurati militent, sub vno vexillo generis naturalis, siue ordo quilibet proprium genus constituat, dum modo cognitio specierum difficilior non reddatur. Character itaque Bromi erit spicula multiflora, plus minus aristata, flosculis omnibus hermaphroditis.* Praeterea huc reduxit *Dactylin glomeratam,* quam a *Poa* remouet, petalum vnum aristatum, a *Cynosuro* calix multiflorus et bracteae defectus, a *Dactyli* calix acutissimus. *Scherardiam, Asperulam* et *Rubiam* nunc separatim conseruauit, et in *Asperula aruensi* stamina, in tubo corollae recondita, et capsulas duas, vnam abortiuam, vidit, hisque notis tantum a *Galio* differre monuit, et *Asperulas, taurinam, tinctoriam* et *odoratam,* LINN. inter *Galia* reliquit; *Galio* enim fructum subrotundum, siccum, non coronatum, et stamina, vltra faucem corollae elata tribuit. *Myosotidis* genus dubium est, et margo baseos tubi corollae introflexus, crenulatus et germina protegens, seminaque nitentia idem cum *Lithospermo* coniungunt, a quo differt corollae centro, squamulis quinque clauso, et stigmate simplici. *Saniculam,* cum *Astrantia* iunctam, denuo exhibuit; et vbique vmbelliferas a seminibus praecipue definiuit. In *Dauco* semen singulum, quatuor angulis donatum, e quibus pili rigidi prodeant, inter angulos linea est eleuata; quorsum ergo pertinent plures *Caucalidis* species, vt *grandiflora, leptophylla,* et *platycarpos.*

p. 76. p. 106. p. 99. p. 121. p. 185. p. 189.

Cau-

p. 191. *Caucalis* ſemina gerit minime ſulcata, aculeis ſparſis, denſis hiſpida; huc retulit *Tordylium nodoſum*, et *Anthriſcum*, nec non *Scandicem Anthriſcum* LINN. Poſterioris enim ſemina roſtro carent, et prioris neque emarginata ſunt, neque compreſſa, hinc a *Tordyliis* diuerſa. *Athamantae* genus expunxit, reſti-
p. 192. tuit vero *Libanotidem*, eidemque fructum oblongum ſtriatum, villoſum, non echinatum, neque marginatum adſcripſit. *Oreoſelinum* et *Ceruariam Selini* ſpecies fecit. Seminum alae marginales, et dorſum tribus lineis longitudinalibus angulatum, notas eſſe *Imperatoriae*, *Aethuſae* et *Angelicae* conuenientes
p. 199. monuit Cl. Auctor; hinc duo ſemina, dorſo vnice cohaerentia, alibi vero libera, *Angelicae* characterem conſtituere; in *Imperatoria* vero eadem planiora, tota interna facie inuicem cohaerentia, dorſumque lineis eleuatis, non autem angulis ſtriatum
p. 207. eſſe aſſumſit. *Scandix odorata* ſemine differt a *Pectine veneris*, *cerefolio* et ſimilibus eamque ad *Myrrhidem* denuo reduxit, cuius eſſentiam conſtituunt ſemina longa, pentagona, angulis ſcabris, acutis; *Chaeropyllum hirſutum* autem ſemina gerit ariſtata, longa,
p. 218. ideoque ad *Scandicem* reduxit. *Chaerophyllo* fructum laeuem, tenuem, longum, nitentem, reflexis ſtylis terminatum adſcripſit. *Seſeli* amplum fecit genus, omnesque vmbelliferas, quae fructum oua-
p. 212. tum, ſtriatum, ſtylisque deflexis terminatum habent, eodem comprehendit, et *Seſeleos* ſpecies fecit: *Athamantam Meum*, *Sium nodiflorum* et *Falcariam*, *Siſon amomum*, *Aegopodium*, *Apium graueo-*
p. 217. *lens*, et *Carum*. Denique et RIVINI genus, *Siler* dictum, denuo introduxit, eidemque fructum oblongum, et ſemina conuexa atque porcata tribuit: monuitque in fructu immaturo ſtrias, per ſiccitatem attenuatas, breues alas repraeſentare, eas autem in perfectis ſeminibus obtuſas eſſe, nec alis

ſimi-

ſimiles. *Cotinum* ſeorſim recenſuit, *Scillam* autem p. 247.
Antherico iunxit, et, cum in *Antherico calyculato*, ſtigmata tria abſque ſtylis, et ſiliculas tres, polyſpermas, conſtanter obſeruaſſet, eandem ad *Scheuchzeriam* amandauit. In *Lychnidum* familia omnia va- p. 303.
riant, ſolus ſtylorum numerus conſtans eſt; qui vero, ex mente Cl. Auctoris, ordines quidem, non autem genera diuerſa conſtituit: hinc eandem coniunctim propoſuit, et *Saponarias* quoque *Lychnidis* ſpecies conſtituit. Ita et *Alſines* genus naturale eſſe, p. 313.
et *Saginam*, *Alſinem*, *Moehringiam*, *Stellariam*, *Arenariam*, et *Spergulam* LINNAEI comprehendere, conceſſit quidem, attamen ex lege methodi ſexualis, ob ſtamina 4. 5. 8. ſeparatim conſeruauit *Saginam*, *Alſinem* et *Moehringiam*, reliquos vero fratres, qui ſtamina 10 gerunt, ſimul omnes *Stellariae* nomine coniunxit, *Lychnidis* exemplo permotus, quae ſpecies tri- et pentagynas, nec non petala bifida et integra comprehendit. *Ceraſtii* genus etiam diui- p. 319.
dit, et *Sphaerocarpa*, quae ſecundum ordinem LIN- et
NAEI conſtituunt, ad *Stellariam* reduxit, reliqua, quae 320.
capſulas habent ceratoides, oblongas, cartilagineas, apice decemdentatas *Centunculi* genere recenſuit.
Sedorum gentem, propter habitum, nectarium, et p. 323.
porportionem numericam partium floris et fructus vno genere comprehendit, et in *Rhodiola* ſiue *Sedo roſeo* ſtamina non ſemper 8, ſed et 6 ad 10, et ſiliculas 3 ad 6: praeterea flores maſculos, cum rudimento feminei ſexus, cui quatuor nectareae ſquamae circumſtabant, obſeruauit. In *Meſpilis* p. 344.
ſtylorum numerus inconſtans eſt; *Meſpilum chamaemeſpilum* digynum, et *Crataegum Oxyacantham* monogynum, in *Cotoneaſtro* 3 et 5, in *Aucuparia* 3 et 4 ſtylos vidit; hinc *Meſpili* characterem naturalem conſtituunt calicini dentes et petala quinque, ſtamina quadruplo plura, ſtyli tot, quot locula, bacca infera vmbili-

bilicata, calice, filamentis et ſtylis perſiſtentibus terminata. Coniungit itaque *Crataegum*, *Sorbum*, et *Meſpilum*. *Crataegum azarolum* LINN. vero ad *Pyrum* amandauit, cum in fructu locula 5 euidenter
p. 357. appareant. *Tormentillam*, *Comarum* et *Fragariam* *Potentillae* addidit: ſi enim *Breynia* eſt *Capparis*, tunc et *Fragaria* erit *Potentillae* ſpecies, et *Tormentilla* ab hac, vt *Gentiana ciliata* ab *aſclepiadea* dif-
p. 369. fert. *Glaucium* a *Chelidonio* iterum ſeparauit; ſiliquam eius ſtigmate quadrilobo, ſcyphiformi, quod prius erat lamina, ſtylo applicata, terminatam eſſe, cognouit, monuitque, ſi flos in hoc genere, non vero fructus attendendus, tunc nec *Papauer* a *Cheli-*
p. 408. *donio* eſſe ſeparandum. *Leonuri* generis eſſentia adhuc dubia eſt, ſola forte corolla aliquid valet: hinc pro charactere aſſumſit, galeam integram, et ellipticam: et labium trifidum, ſegmentis omnibus, aut lateralibus, acuminatis: addenda ſtamina, villis aſperſa: addidit huic generi denuo *Galeopſidem Galeobdolon* L. *Sta-*
p. 410. *chydem* LINN. retinuit, et pro nota eſſentiali ſtamina exteriora deflorata, lateraliter exſerta, et labii laciniam mediam emarginatam aſſumſit. *Betonica officinalis* eaſdem quidem notas gerit; ſed caret corona villorum, germina protegentium, quae in *Stachyde* adeſt:
p. 413. hinc et *Betonicam alopecurodem*, *officinali* multum ſimilem, pro *Betonicae* ſpecie aſſumere Cl. Auctor noluit, cum eiusdem germina villis quoque
p. 424. ſint tecta. *Serpillum* non ſolum cum *Thymo* coniunxit, ſed etiam *Meliſſam grandifloram* et *Calaminthan* LINN. eidem appoſuit, cum et harum calycis fructiferi faux villis conniuentibus clauſa deprehendatur.

T. II. Ex *Alyſſo calycino* et *montano* LINN. nouum
p. 13. cum ADANSONIO fecit genus, nomine *Adyſeton* et characterem in ſilicula emarginata, compreſſa, ſeptoque ſtylifero, valuis parallelo, poſuit; vtrius-

que

que ſpeciei folia villoſis ſtellis ſunt hirſuta. *Biſcutella* ſiliculam habet compreſſam diſpermam, ſepto contrario ſtylifero : ſemen in hac medio ſepti loco affixum eſt, quod in *Adyſeton* ſuperiori loco appenditur. *Spartium* nunc cum *Geniſta* combinauit, p. 50.
cum vexilli maior et minor latitudo certos limites non admittat; *Onobrychidem* autem conſeruauit pro- p. 76.
pter legumen monoſpermum, quod multiloculare eſt in *Hedyſaris*. *Tetragonolobum* quoque a *Loto* p. 87.
legumine tetragono tetraedro, angulis alatis diuerſum, prout et *Dorycnium* ſeparatim conſeruauit, et, ſi vltimum proprium genus non eſſet, *Trifoliis* potius, quam *Lotis* adiungendum eſſe, ſcripſit. *Leontodon* LINN. plantas complectitur, quibus ſe- p. 99.
minum pappus ſtypitatus et ſimplex, et iterum alias, quibus idem ſeſſilis et plumoſus eſt : hanc confuſionem vt euitaret Cl. Auctor, ex vno genere bina fecit, quorum vnum *Hedypnoin*, alterum *Leontodon* dixit. Illius character eſt calix, baſi et apice dilatatus, conſtans ſquamarum ordinibus tribus, intimo duplo longiore; ſemina pappo ſtipitato, ſimplici, terminata; receptaculum conuexum, alueolatum glabrum; hucque pertinet *Taraxacum officinale*. p. 111.
Leontodon vero Auctoris gerit ſemen coronatum pappo plumoſo, ſeſſili; receptaculum planiuſculum, alueolatum; alueolis marginatis, aut membranula lacero dentata vallatis, et comprehendit *Leontodon hiſpidum, hirtum*, et *autumnale* LINN. Inter *Hieracia* et *Sonchos* limites nullos inuenire potuit, nec figuram calicis, aut maiorem minoremue latitudinem eiusdem ſquamarum diuellere poſſe genera, pluribus aliis notis inuicem ſimilia, affirmauit: hinc eadem coniunxit, ſimulque *Leontodon aureum* eidem adiecit, cum et huius pappus ſimplex ſit et ſeſſilis. Species vero *Hieraciorum*, quibus pappus p. 113.
plumoſus et receptaculum villoſum eſt, nouum

 con-

constituunt genus. Si enim *Andryala* a *Senecione* generice differt, tunc et *Hieracia*, eadem nota diversa, coniungi non debent. Dixit hoc genus *Apargiam* Cl. Auctor, quo nomine proposuerat DALECHAMPIUS plantam, *Achyrophorum* a VAIL-
p. 123. LANTIO dictam. *Serratulam* partim ad *Cirsium*, partim ad *Carduum* reduxit, *Cirsioque* seminis pappum sessilem et manifeste pilosum, ac thalamum
p. 131. pilosum; *Carduo* autem pappum simplicem tribuit; praeterea *Cnicum pygmaeum*, *oleraceum*, et *spinosissi-*
p. 134. *mum* inter *Cirsia* recensuit. *Carthamum lanatum* nomine generico *Atractylis*, easque *Centaureae* species, quae semina, pappo carentia, habent, *Rhapontici* genere exhibuit; reliquas, seminibus papposis ornatas, sub *Centaurea* omnes comprehendit.
p. 147. *Matricariam* et *Pyrethrum*, HALLERO duce, separauit, et priori calicem hemisphaericum, squamis multis imbricatum, marginalibus minime membranaceis, tribuit, a qua *Pyrethrum* seminibus, corona denticulata terminatis, differt, vti *Sherardia* ab
p. 149. *Asperula*. *Filaginem* LINN. cum *Gnaphalio* coniunctim tradidit, communis enim vtriusque facies filamentosa aut tomentosa, nec non medium inter vtrumque genus *Gnaphalium leontopodium* coniunctionem suadent; posterior planta polygama est, capitulo medio *Gnaphalii*, lateralibus vero *Filaginis*.
p. 168. *Inulam* etiam *Asteri* denuo associauit, addiditque huic generi *Doronicum bellidiastrum*, et *Arnicam*
p. 176. *scorpioidem* LINNAEI. *Solidaginem*, *virga aurea* dictam, *Doriae* genere et nomine proposuit. Quo nomine forsan omnes *Solidagines* comprehendit, genericum enim hoc nomen nullibi occurrit. *Sa-*
p. 185. *tyriorum* siue *Orchydum* flores, insecto diptero similes, ouarium scilicet ventri, petala alis, opercula anthennis, scutum capiti, stylus rostro, labium pedibus; hinc vt diptera ex rostro, ita et genera

Saty-

Satyriorum ex ſtylo dignoſcenda eſſe aſſeruit. In his plerumque Ill. HALLERUM ducem elegit, inprimis in genere *Orchidis* et *Epipactidis*, quod vltimum vero nomen cum *Serapias* commutauit: retinuit quoque *Corallorhizam*, addiditque *Ophrydis* genus. *Blitum* cum TOURNEFORTIO ab *Amarantis*, *Oſtryam* quoque cum MICHELLIO a *Carpino* diſtinxit; e contrario *Elaeagnum* et *Hippophaen* calicis ſegmentis tot, quot ſtamina e calice nata, corolla nulla, et in feminis ſtylo vnico, baccaque globoſa, monopyrena, vt charactere naturali, cum *Oſyride* conuenire, et ſolum numerum partium, ſexumque diuerſa genera naturalia non conſtituere perhibuit: hinc tria haec genera combinauit, prout et *Lupulum* ad *Cannabim* amandauit. In *Filicibus* et reliquis *cryptogamiis* plerumque LINNAEI genera retinuit, *Struthiopterin* vero et *Oſmundam* ſecundum HALLERUM definiuit. *Lichen-agaricos* MICHELLII, ab HALLERO *Sphaeriae* nomine propoſitos, a LINNAEO vel *Fungis* adiunctos, vel penitus expulſos, cum ADANSONIO nomine *Valſae* recenſuit, et receptaculum ſphaericum, aut cylindricum, carbonario puluere plenum, et apice dehiſcens, pro charactere exhibuit. *Merulium* denique cum HALLERO ab *Agaricis* ſeparauit, et *Eluelam* GLEDITSCHII aſſumſit.

p. 237. p. 243. p. 260. p. 262. p. 288. p. 397. p. 461. p. 476.

A generibus pergamus ad ſpecies, quarum plures ad alia reduxit genera, aliasque accuratius definiuit, et veras a ſpuriis, ſiue varietatibus, ſedulo diſtinxit. Plantarum Linnaeanarum, ad alia genera relatarum, indicem alphabeticum Ipſe Cl. Auctor operi praemiſit, quarum nonnullas modo repetamus, plures ex notatis antea generibus, noua ratione ſtabilitis, innoteſcunt.

Aegilops ouata LINNAEI eſt *Phleum*

Aegilops incuruata LINNAEI est		*Agroſtis.*
Agroſtis arundinacea	-	*Arundo* *).
Alopecurus paniceus	-	*Panicum.*
Andromeda poliifolia	-	*Rhododendron.*
Aphanes aruenſis	-	*Alchemilla.*
Arctium Carduelis	-	*Cirſium* **).
Auena elatior	-	*Holcus.*
Braſſica campeſtris	-	*Eryſimum.*
Braſſica erucaſtrum	-	*Eryſimum.*
Cacalia alpina	-	*Tuſſilago* ***).
Cheiranthus eryſimoides	-	*Eryſimum.*
Chlora perfoliata	-	*Gentiana* ****).
Chryſanthemum leucanthemum	-	*Matricaria.*
Chryſanthemum corymboſum	-	*Pyrethrum.*
Cynoſurus criſtatus	-	*Phleum.*
Cynoſurus durus	-	*Poa.*
Eryſimum Barbarea, Alliaria, officinale	-	*Siſymbrium* *****).
Feſtuca decumbens, fluitans	-	*Poa.*

Feſtu-

*) Quaerit Cl. Auctor, cur *Agroſtis*? cum pappus adeo manifeſtus, nec ariſta recta, ſed e medio modice refracta ſit.

**) Cuius capitula ſphaerica conſtant ſquamis imbricatis patentiuſculis, apice non retrorſum, ſed introrſum flexo, filamenta ſunt piloſa, ad baſin latiora.

***) Quippe quae a Petaſitide floribus hermaphroditis quadrifidis, nec alia nota, differt.

****) Quam in Syſtemate Nat. Edit. XII. eo nomine propoſuit LINNAEUS, antea pro Gentiana exhibita.

*****) Harum ſiliqua non tetragona eſt, qualem exigit Eryſimi character Linnaeanus; et, cum in Barbarea ſubtrigona ſit, haec Siſymbrium cum Eryſimo coniungere videtur.

Festuca ouina LINNAEI	est	*Bromus.*
Gypsophila saxifraga	-	*Tunica.*
Holcus Halepensis	-	*Andropogon.*
Hyoseris foetida	-	*Lapsana.*
Inula crithmifolia	-	*Senecio.*
Leontodon aureum	-	*Hieracium.*
Lepidium alpinum	-	*Draba.*
ruderale	-	*Nasturtium.*
Myagrum alpinum } *satiuum* }	-	*Alyssum.*
Myosotis Lappula	-	*Cynoglossum.*
Onosma echioides	-	*Cerinthe.*
Ophris spiralis	-	*Serapias.*
Orchis abortiua	-	*Serapias.*
Pimpinella glauca	-	*Pastinaca.*
Schoenus aculeatus	-	*Agrostis* *).
Sisymbrium arenosum	-	*Arabis.*
Turritis hirsuta	-	*Arabis.*

Addamus alias, quae species illustrant, obserua- Tom. I,
tiones. *Circaea alpina* distincta est species, specifi- p. 9.
cus vero character non consistit in caule adscendente, nec in vno racemo, neque in calice colorato; sed in figura, glabritie, et dentato ambitu foliorum. *Veronica chamaedrys* multum variat, et inter hanc
et *montanam* LINN. nullum verum discrimen inue- p. 14.
nire potuit, habitu excepto, qui modo mollior est, modo rigidior: hinc vtramque coniunxit, imo et *Veronicam Teucrium* non separauit. Nec *multifida* et *Austriaca* inter se differunt; *spicata* denique varie laruata incedere, et characterem suum occultare solet: ideoque et *longifoliam* ab eadem separare non

Rr 4 potuit.

*) Vel Agrostidis speciem, vel nouum genus esse monuit. Flos quilibet calice constat euidente, biglumi, mutico, petalis duobus, styloque vnico et stigmate simplici.

p. 80. potuit. Inter *Bromos* Linnaeanos, *ſecalinum*, *ſquarroſum*, *hordeaceum*, *aruenſem*, et *tectorum* certos limites non inuenit, eosque nomine *Bromi polymorphi* coniunxit, et pro diagnoſi aſſumſit: vaginas foliorum villoſas, nodos faſcia atro rubra notatos, ſpiculas teretes, lanceolatas, craſſas; calicem longitudine petali primi, glumas et petala ſtriata, petalumque internum truncatum, ciliatum: Nomine
p. 87. *Auenae piloſae* comprehendit varias LINNAEI ſpecies, *flaueſcentem* ſcilicet, *fatuam*, *pratenſem*, *nudam*, et *fragilem*, monuitque eſſentialem ſuum characterem hoc gramen mirifice occultare, et ſtaturam ſpicularum numerumque floſculorum a climate et loco natali variare; in his omnibus panicula eſt erecta, non adeo longa, racemis et pedicellis tenuibus, calix coloratus, receptaculum piloſum, petalum maius apice inciſum, et e dorſo proferens ariſtam tortilem infractam, floſculo duplo longiorem. *Ce-*
p. 128. *rinthem maiorem*; *minorem* et *maculatam* LINN. *glabrae* nomine coniunxit; omnibus enim vna eſt facies, eademque floreſcentia; *maior* gerit folia obtuſiora, per aetatem coeruleſcentia, albis verrucis magis aſperſa, nec non corollae ſegmenta breuiora: *maculata* folia poſſidet modo glabra et magis maculata, modo ad apicem verrucoſa et corollae ſegmenta longiora; *minor* diuerſa eſt corollae ſegmentis breuioribus. LINNAEUS in ſpecierum edit. II, *maculatam* Ipſe expunxit et *minori* addidit. Nonne
p. 167. corolla clauſa et patula euidenter diſtinguunt maiorem et minorem? An *Ribes alpinum* a *rubro* diſtinctum eſſet, dubitauit Cl. Auctor; *Rubri* racemi florales primo erecti ſunt; dein vero reflectuntur, quales etiam exhibet figura *Ribeſii alpini*, a IOH. BAVHINO data. *Groſſulariam* et *Vuam criſpam* baccis hirſutis et glabris quoque ſeparauit LINNAEUS; aſt, fructu glabro praeditam *Groſſulariam* dari, con-

concedere Cl. Auctor noluit. *Chenopodia* foliis angulosis inter se multum conuenire, et *viride* atque *album*, forte etiam *murale* ac *rubrum* varietates modo constituere asseruit, scripsitque: si *Chenopodium Daturaefolium*, siue *hybridum* a *viridi* natum fuisse suspicari potuit LINNAEUS, quidni etiam ex *anserino pede* veterum varias proles demum natas, dubitabimus? *Gentiana campestris* et *amarella* vnam constituunt speciem, suntque notae communes: Corollae, instante pluuia se claudentes, auriculae tenuiter laciniatae, erectae, calicinorum dentium margines reflexi, corollae basis tam firmiter adhaerens calici, vt auulsa interiorem eius cutem secum rapiat, stigmata lamellosa erecta, integerrima et obtusa. Inter *Eringium campestre* et *amethystinum* nullum discrimen obseruauit, nisi quod folia in vno minus, in alio magis incisa essent. In *alpino* folia caulina pinnatifida, quae LINNAEUS descripsit, nunquam vidit; ast capitulo florali oblongo circumstant folia amethystina, quorum alia setacea et reflexa, alia vero pinnatifida et lanceolata sunt. *Pimpinellae* species bene distinxit Ill. HALLERUS, quem et secutus est Cl. Auctor. *Droseram* vero *longifoliam* et *rotundifoliam* combinauit: cognouit enim ex copiosis speciminibus folia ab vna in alteram speciem sensim degenerare. *Asparagus acutifolius* et *aphyllus* non sunt diuersae species; si enim folia pro spinis habentur, erit *aphyllus*, si vero folia dicas, erit *acutifolius*; *Asparagi aphylli* specimina, Cl. Auctori ab amicis data, omnes notas habuerunt *acutifolii*. *Iuncus monanthos* a Cl. IACQUINIO dictus, et ab Auctore in edit. I. distinctus, culmos vni-bi-et trifloros gerit, et hinc eandem pro varietate *Iunci trifidi* LINN. nunc exhibuit. *Rosarum* species genuinas cognoscere difficillimus est labor, hinc Cl. Auctor scripsit: quid calix, quid figura fructus, quid hirsuties aut

p. 174. p. 178. p. 185. p. 209. p. 232. p. 249. p. 257. p. 351. et 355.

 gla-

glabrities, quid denique ſpinae valeant in determinandis *Roſarum* ſpeciebus, qui plura ſpecimina, eaque in variis regionibus collecta, poſſidet, et inuicem conferre voluerit, facile poterit iudicare; calicis autem fabricam figura fructus conſtantiorem eſſe, obſeruauit. An forte vnica ſpecies, a Deo creata, ex qua reliquae omnes deinde natae? Cum itaque recentiorum, et LINNAEI etiam obſeruationes Auctori non ſatisfacerent, nomina tantum ex BAUHINI Pinace repetiit, et aliorum aliquando ſuppoſuit, melius eſſe ratus fateri, quid neſciat, quam ſententiae ſubſcribere, a veritate adhuc alienae.

p. 361. *Potentillam auream* et *vernam*, *Ranunculum repen-*
p. 394. *tem* et *Flammulam*, forte et *Ranunculum Monſpeliacum* ac *Lapponicum* a *niuali* non differre, contendit.

T. II. *Hieracium Piloſella* mire ludit caule vnifloro, bi-
p. 105. tri- et quadrifloro, etiam caule ramoſo folioſo, aliisque modis, hinc varias, praeter neceſſitatem conſtitutas, feciſſe ſpecies tradidit, docuitque conuenire omnes ſtolonibus repentibus piloſis, calicibus proferentibus ſpinulas fuſcas, carnoſas, flaueſcente glandula terminatas, calicinis ſquamis craſſis et villoſis; ſemifloſculis non vltra 90; receptaculo plano, foliis ad lanceolatam figuram accedentibus.

p. 157. *Petaſitides* a foliis veteres, a figura thyrſi florumque ſtructura et numero recentiores diſtinxerunt; attamen omnes, ſcilicet *Tuſſilaginem albam*, *frigidam*, *hybridam* et *Petaſitidem* LINN. vnam forte ſpeciem conſtituere, Cl. Auctori probabile videtur, notas communes et quomodo flores in diuerſis annis et indiuiduis variare ſolerent, copioſius annotauit, id quod ſen-
p. 240. tentiae ſuae multum roboris conciliauit. In *Quercus* genere folia infida eſſe, conſtantiores gallas, corticem et cotyla, foliaque in eadem arbore ſerrata et integra occurrere: hinc *Quercum*, *Smilax* et *Ilex* dictam, non differre, immo et *gramuntiam*, et *Cer-*

ris

ris nominatam prioribus addi poſſe, aſſeruit Cl. Auctor. *Quercum Smilacem* ab ipſo LINNAEO ad *Ilicem* relatam eſſe, ex ſpecierum edit. II. conſtat. In extricandis *Salicum* ſpeciebus maximas difficultates, pluresque a ſcriptoribus, magni etiam nominis, commiſſos errores ſe inueniſſe, libere faſſus eſt; hinc etiam ſuas potius accurate deſcribere, quam ad aliorum nomina reducere laborauit. De *Salice alpina* e. g. quam Tab. 61. delineauit, dubius haeſit, an eſſet *lanata*, an *fuſca* LINN. et ſcripſit: an haec translato pappo volitante genuit reliquas latifolias? vtrum ſtatura puſilla violenta plantae in ſolo fertili naturalis et elatior euadit? In genere autem monuit, cognitionem ſpecierum difficilem reddere 1) icones non bonas, 2) deſcriptiones imperfectas, 3) miram efficaciam ſoli, caloris, frigoris, humidi, ſicci, ventorum, niuis, in mutando earum habitu, ſtatura, hirſutie, figura foliorum, ſtipulis, pedunculis, amentis, nectariis, capſulis, geſtatione, germinatione, vita etc. In *Cryptogamiis* plures plantas accuratius diſquiſiuit, et partim nouas ſpecies conſtituit, partim alias varietatibus aſſociauit. *Lichenes*, praecipue illos, qui *ſcyphiferi* et *fruticuloſi* a LINNAEO, et *Coralloides* a DILLENIO dicuntur, per plures annos ſe collegiſſe, et omni ſtudio examinaſſe, limites vero inter ſpecies detegere neutiquam potuiſſe monuit, et, cum probabile ſit, omnes haſce plantas *Lichenis pyxidati* varias aetates et degenerationes eſſe, eaſdem in ſpecies non ſeparare, potius omnes nomine *Lichenis ſquamoſi* proponere voluit.

p. 252.
p. 259.
p. 368.

Praeterea copioſae huic Florae inſunt obſeruationes, quae plantarum ſtructuram egregie declarant, et hinc omnem attentionem merentur. In *Hippuri vulgari* anthera iuuenis vere ſeſſilis eſt, et locula

Tom. I. p. 5.

locula obſcure rubra poſſidet, floreſque non omnes hermaphroditi ſunt, ſed in eodem verticillo inter-
p. 7. dum etiam feminei. *Liguſtri* corolla vere infundi-
buliformis non eſt, filamenta inter receptaculum et corollam prodeunt, etſi eius tubo fere agglutinata ſunt, baccam replet ſicca ſpongioſa violacea pulpa, quae ſacculos duos monoſpermos conſtituit. *Ve-*
p. 10. *ronica aphylla* non in corymbo floret, ſed pedunculos duos treſue ex apice caulis emittit, et, ſi planta diligentius conſideratur, folia non omnia radicalia
p. 27. videbuntur. *Saluia officinalis* omnino tetrandra eſt, fulcrum enim ſuſtinet filamentum, vtroque ex-
p. 33. tremo gerens antheram fertilem. In *Valeriana dioica* nunquam Cl. Auctor vidit flores dioicos, ſed nunc omnes hermaphroditos, nunc filamento vno altero caſtrato inſtructos; nunc maſculos et femineos in eadem planta, ita tamen, vt maſculi flores continerent rudimentum germinis et ſtyli; ſine ſeminibus perfectis nullam hactenus inuenire potuit.
p. 40. *Schoenus* LINNAEI a *Scirpo* in eo tantum differre videtur, quod in hoc genere omnes ſquamae fertiles ſint; in eo autem eae ſolae, quae ſuperiorem capituli partem conſtituunt, id quod probare voluit Cl. Auctor propria obſeruatione rudimentorum floris et fructus in ſinu vno alioue earum ſquamularum, quas pro glumis calicinis Ill. LINNAEUS ha-
p. 49. buit. *Graminum* generibus limites certos non vbique poſuiſſe induſtriam Ill. LINNAEI Cl. Auctor aſſeruit, atque hinc, cum infloreſcentia et numerus partium floris fructusque non ſufficere videantur, eadem potius in ſola ſtructura quaerere voluit; et, dum e. g. *Aegylopem ouatam* ad *Phleum* amandauit,
p. 56. ſcripſit: *Phleum* voco ex ſtructura floris, nam ſexus vix aliquid probat, modo enim flores hermaphroditi ſunt: modo ſtamina ſola videntur, modo germina et ſtamina deſunt: et *Alopecurum* ab omnibus aliis grami-

graminibus differre glumis calicinis monophyllis,
corollaceis cucullatis ex SCHREBERI litteris ad-
duxit. *Saginam* glandulae nectariferae coniungunt p. 119.
cum *Alſine media*, capſula vero quadriualuis cum
Moehringia; *procumbens* illa petala gerit in ſyluis
maiora, in agris minora. *Drypis* capſulam fert te- p. 225.
nuem, calice indurato et conniuente ita tectam, vt
cum eo cadere debeat, antequam dehiſcat, hinc
capſulam quinqueualuem MICHELII paradoxam
eſſe, neque eam cum LINNAEO circumſciſſam
dici poſſe, monuit, cum nullum ſponte ſe ape-
riendi ſpatium habeat, et culter capſulae pellicu-
lam baſi abſcedentem quidem repraeſentet, ſed ſe-
paratio haec minime naturalis ſit. Semen vnicum
continet reniforme, ex hilo demittens filum, quo
imo loco capſulae affigitur. *Statice armeria* anthe- p. 227.
ras baſi bifidas, ſegmentis inflexis, et germen cir-
cumdatum annulo nectarifero quinquelobo, lobis
ſtaminiferis oſtendit; pili ſtylorum ſuperiores con-
colore glandula terminantur, et petala, dempto ca-
lice, vi elaſtica ſeſe ſubito expandunt. *Dictamni* p. 284.
albi fructus conſtat loculis quinis, ſuperne dehis-
centibus, et itidem in medio bidentatis; in loculo
quolibet continetur capſula coriacea, in duo crura
diuaricata, profunde diuiſa, e cuius fundo ſuperne
naſcitur lamina bifida, carinata, protegens ſemen
vnicum, ſplendens. *Cherleria ſedioides*, in horto p. 312.
culta, produxit nectaria decem integra, nec non fi-
lamenta omnia ex receptaculo. In *Ceraſtio ſemide-* p. 321.
candro LINNAEI ſtamina quinque et ſtylos tres
numerauit HALLERUS; ſtamina vero 10 et qui-
dem omnia antherifera, et ſtylos 5 obſeruauit Cl.
Auctor, viditque filamenta exteriora antheras facile
et citius dimittere, et hinc nata forte obſeruatio
LINNAEI de ſtaminibus 5 fertilibus totidemque
ſterilibus. *Aſari Europaea* proles non eſt mono- p. 328.
ſed

ſed hexagynia, licet enim ſtyli, primo connati, vnicum prae ſe ferant; apice tamen ſunt liberi, et cum capſula in 6 locula diuiditur, tunc ſtyli ſeparantur, et quilibet ſuum loculum ſeorſim terminat; ſingulum loculum ſepto longitudinali in duas partes diuiditur, eidemque vtrinque bina ſemina adhaerent. Ita et *Portulaca oleracea* non mono-ſed pentagynia eſt, vti pridem vidit HALLERUS. Nec *Iſopyrum*
p. 402. polygya erit, ſed trigyna potius, germina enim modo duo vel tria euidentiſſimo ſtylo terminata, totidemque triſpermas capſulas Cl. Auctor vidit.
p. 386. *Atragene* differt a *Clematide* ſtaminibus exterioribus in nectaria lanceolata, triloba, emarginata et integra degenerantibus, quae LINNAEUS petala vocat, corollam vero pro calice ſumit; hanc metamorphoſin ſtaminum etiam in *Clematide Vitalba* ob-
T. II. ſeruauit Cl. Auctor. In *Myriophylli* notis genericis non
p. 238. conueniunt ſcriptores. In *ſpicato* inuenit Cl. Auctor calicem quadridentatum, corollam nullam, ſtamina 8, germina 4, ſtigmata papilloſa, et femineos inferiores prioribus ſimiles, ſed abſque ſtaminibus.
p. 250. *Bryoniam* in Auſtria dioicam eſſe, tradidit Cl. IACQUINIUS, quo hac de re certus eſſet Auctor, ex agro Gorizienſi eandem in hortum tranſtulit, plantamque florentem monoeciam obtinuit, viditque in maſculis filamenta tria bifida, ſegmentorum marginibus coronatis, et antheras adnatas, in feminis ſtylum vnum et ſtigmata duo lunata.

Poſſemus facile plura ex perfectiſſimo hoc opere repetere, niſi breuitati ſtudendum eſſet. Ad ordines naturales ſollicite reſpexit, licet artificialem aſſumſerit, et, quoſnam ingredi deberent genera,
T. I. ſaepius annotauerit. Ita *Salicornia* affinitatem habet
p. 4. cum *Salſola* et *Beta*; hinc inter *Oleraceas* recen-
p. 5. ſenda. *Limnopeuce*, quia ſtylum ex apice germinis emittit, remoueri debet ab *Elaeagnis*, et aſſo-

ciari

ciari familiae *Zingiberum*. *Hedera* cum vmbelliferis coniungi nullo modo poteſt. *Acorus* proximus *Iuncoidi* MICH., haec *Scheuchzeriae*, *Scheuchzeria* *Antherico*: hinc familia *Liliaceorum* ADANSONII vere naturalis eſt. *Aliſma* et *Sagittaria* affinitatem indubiam habent; ſed vtraque gens monocotyledon a multiſiliquis remouenda in ordine naturali: *Butomus* cognatus *Aliſmae*, *Veratrum* *Sagittariae*, et cum *Butomus* *Scheuchzeriae* proxime accedat, ita quatuor haec genera coniungunt *Iuncos* cum *Liliaceis*. *Knavel* affinitatem cum *Theſio* maiorem, quam cum *Alchemilla* habet, hinc remoueri debet a *calyciſloris*.

p. 168.
p. 254.
p. 267.
p. 298.

Annotauit etiam frequenter inſecta, quae plantas inhabitare ſolent, et alia, quae ex plantarum diſquiſitione ad nos redundant, commoda. e. g. *Melois veſicatorii* copiam inſignem alit *Liguſtrum*; *Oleae* infenſus *Curculio*, in baccis habitans; *Chenopodium Scoparia Cimices* pellit; *Pinguicula* indicat in vicinia latentem *Tophum* ſiue *Porum aqueum ſolidum* WALLERII; *Valeriana tripteri* florente *Gryllus* ſtridet in campis, *Vpupa* foetidum nidum aedificat, *Rana* in fruticibus laete coaxat. *Rubi fruticoſi* foliis laruae *Phal. Bombycis*, defectu *Mori*, nutriri poſſunt, ſed vilius ſericum inde obtinetur.

Verum eiuſmodi plura commemorare nolumus, modo adhuc nonnulla, quae de viribus plantarum medicatis Cl. Auctor adduxit, breuiter repetamus; inprimis cum ea, quae in priori Florae editione annotauerat, nunc omiſſa, alia vero addita fuerint. *Valerianae officinali* antepilepticam virtutem, inſigni exemplo Florae edit. I. confirmatam, in aliis poſtea caſibus felici ſemper ſucceſſu expertus eſt. *Verbaſcum thapſum* in phthiſi bouilla laudauerat LINNAEUS, et in Carniolia vbique in morbis pulmonum bouillae gentis pro ſpecifico haberi,

Tom. I. p. 33.
p. 155.

p. 170. Auctor retulit. *Vincae* minoris decoctum lacteum
p. 266. sanauit raucedinem, aphoniae fere similem. *Oxymellite Colchico* curauit vetulam hydropicam ao. 65. in duobus autem aliis hydropicis nihil idem profuit.
p. 268. *Aesculi Hippocastani* culturam maximopere commendauit: purgat et sanat equos, vnde nomen accepit, fructus excorticatus et puluerisatus in aqua tepida spumescit, eamque aptam reddit purgandis linteis loco saponis; folia inseruiunt pro pabulo pecorum cornutorum; cortice coria praeparari possunt; infusum fructus pro maceratione Cannabis inseruit, hocque ipso melius forte lauari potest sericum crudum, cum vulgaris sapo impediat, ne sericum sat viuide coloretur. Cineres etiam dant sal pro depurando serico valde proficuum; ex fructu quoque paratur amylum, puluis ab extractione substantiae saponaceae residuus, ablutus, et cum furfure triti-
To. II. ceo mixtus, nutrit gallinas. Ita et *Pini Piceae* cul-
p. 246. turam et oeconomiam vtilissimam et necessariam
Tom. I. summopere suasit. Baccae *Sorbi Aucupariae* non
p. 346. solum nutriunt pecora et gallinas, sed etiam succum praebent, ex quo spiritus vini parari potest. *Che-*
p. 369. *lidonii maioris* decocto necantur vermes, qui putri-
To. II. dis equorum vlceribus innascuntur; herba eiusdem
p. 241. cum pinguedine mixta, sanant incolae mictum cruentum in bobus, quem folia *Quercus, robur* dictae, producere solent. *Thlaspi Bursae pastoris* herba re-
p. 17. cens, cum oleosis tempestiue adhibita, sanat haema-
p. 133. turiam in bobus et tauris. *Onopordi Acanthii* radix cocta et assumpta in modum Theae, specificum est
p. 285. in gonorrhoea incipiente. *Equisetum syluaticum* bobus maxime nociuum, quippe dentium iacturam et diarrhoeam efficit.

Reliqua, quae nouas, a Cl. Auctore exhibitas, vel descriptas, vel icone expressas plantas concernunt, silentio praeterire debemus, licet ex illis maxi-

maximam quoque aeſtimationem mereatur opus. Diſſertationem de plantis ſubterraneis promiſiſſe Tom. II. p. 473 ſolummodo adhuc notemus, eamque botanicis gratiſſimam fore, facile praeuidemus.

VI.

Philoſophical Tranſactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies, and labours, of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. LIX. for the Year 1769. P. I and II. pagg. 530. tab. aen. 46. London printed for Lockyer and Davis 1770.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LIX. P. I et II. ad annum 1769.

Voluminis quinquageſimi noni pars prima continet ſequentes articulos.

1) Epiſtola Cl. I. MOULT ad Cl. PERCIVALL Med. Doct. *in qua noua methodus radicem* Salab *praeparandi traditur.* Cl. Auctor eodem fere artificio, quod Cl. RETZIUS *) in Suecia adhibuit, etiam *orchidis morionis* radices ita praeparauit, vt ſimiles iis fierent, quae ex Aſia ſub nomine radicis Salep afferuntur. Poteſt etiam ex *orchide palmata* praeparari. Vtitur vero Cl. Auctor inprimis nouis p. 1.

*) v. Act. Academ. Suecic. Vol. XXV. p. 245. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 209.

nouis radicibus, quae antiquis accreſcunt, eaſque, cuticula detracta, in furnum piſtorium immittit, in quo intra dimidium quadrantis horae transparentes fiunt. Reliquam exſiccationem in conclaui ſicco peragit. Planta ipſa in ſolo ſicco ſterili optime creſcit, et cultura eius omnino commendari meretur.

p. 4. 2) *Breuis narratio de ſtructura et effectu ſpeculorum cauſticorum parabolicorum a defuncto* Domino HOESERO Dreſdae *elaboratorum, quae nunc* a Domino EHRARD *ſub arce Dresdenſi habitante poſſidentur.* Auctore Cl. WOLFE M. D. Recenſentur experimenta, a Cl. HOFFMANN cum ſpeculis cauſticis Hoeſerianis inſtituta, quorum maxima pars iam in promtuario Hamburgenſi (*Hamburgiſches Magazin*) continetur.

p. 9. 3) *Caſus rarus de tribus acubus a puella deglutitis, et ex humero ſuppuratione expulſis;* in epiſtola Cl. LYSONS ad Cl. NICHOLLS. Haec epiſtola continet hiſtoriam puellae viginti duorum annorum, quae acus tres, in ore detentas, forte deglutierat. Hae in oeſophago haerentes chirurgicis quidem inſtrumentis ante aliquot menſes inferiora verſus detruſae fuerant, ſymptomatum tamen vehementia minime remota eſt, quin potius raucedinem inſignem, haemoptyſin, dolorem in latere dextro ſub coſtis ſpuriis, tuſſi qua excruciebatur, et omni corporis motu auctum, et aliquoties conuulſiones experiebatur, quibus rectus inprimis ſuperior oculi dextri muſculus ita afficiebatur, vt aperto etiam oculo palpebra pupillam tegeret. Similis effectus in ſiniſtro quoque oculo obſeruabatur, ſed poſt aliquot ſeptimanas medicamentis remouebatur. Effluxis tan-

tandem aliquot menſibus, tumor in humero dextro ſe oſtendit, qui tamen paullo poſt euanuit, altero in ſuperiore parte ſcapulae ſiniſtrae eleuato, qui paulo poſt in abſceſſum mutabatur, ex quo, a chirurgo aperto tres acus deglutitae extrahebantur. Vulnus vero illud carnoſam trapezii partem occupabat. Ex vita ſedentaria aegrae catamenia quidem ceſſauerant; haemoptöe tamen, qua aegra afficiebatur, ex eorum defectu non explicari poterat, cum ea ab eo ipſo tempore, quo acus ex oeſophago remotae erant, iam inceperat. Iter harum acuum ex oeſophago ad humerum maxime admirandum eſſe videtur, cum ipſos pulmones affectos, et ſputum cruentum, et tuſſis, diaphragma autem laeſum, dolor ad coſtas ſpurias ortus indicent. Oculorum tandem affectio, non niſi ex conſenſu nerui intercoſtalis cum tertio pare neruorum cerebri ceterisque, explicari poteſt. Ceterum difficillimum eſt intellectu, cur, dolore et tumore in dextro latere primum obuiis, aciculae tamen in ſiniſtro latere inventae ſint.

4) *Epiſtola* Ill. WILLIAM HAMILTON ad Cl. MATY, *in qua variae obſeruationes circa montem Veſuuium aliosque vicinos montes igni vomos occurrunt.* p. 18. Alio loco iam varias obſeruationes Ill. Auctoris circa eruptionem montis huius indicauimus, quarum continuatio hic traditur *). Ex ea patet plurimos Veſuuio vicinos montes et ipſum Veſuuium ignis vi olim ortos fuiſſe.

 5) *Epi-*

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LVIII. ad annum 1768. p. 1. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 386.

p. 22. 5) *Epistola* Cl. DAINES BARRINGTON ad Cl. WATSON *de variis arboribus, quae pro indigenis magnae Britanniae vulgo habentur.* Ostendit Cl. Auctor castaneam in Anglia non indigenam esse, sed satiuam, eaque occasione de aliis arboribus, quae ex aliis regionibus in Angliam primum delatae sunt, disserit.

p. 39. 6) *Relatio de casu, in quo caput ossis humeri a reliquo humero serra, et magna deinde huius ossis portio exfoliationis ope separata est, motu tamen totius artus superstite.* Auctore Cl. WHITE Chirurgo. Ea est admiranda naturae vis in restituendis partibus variis, a reliquo corpore separatis, vt plurimae quoque obseruationes probent iacturam insignium fragmentorum osseorum a natura iterum reparatam fuisse *). En nouum huius rei exemplum! Adolescens sedecim annorum habitus scrophulosi inflammatione et deinde abscessu in humero sinistro afficiebatur, quo aperto, caput humeri carie affectum deprehendebatur. Cum corporis constitutio et symptomatum vehementia vix amputationem in articulo humeri permitterent, incisionis ope caput humeri, quod luxatum iam erat, Cl. Auctor extraxit et a reliquo osse separauit. Quo facto, paullo post alia quoque ossis pars exfoliatione protrudebatur et intra quatuor menses vulnus ita consolidatum est, vt hoc brachium altero ne vnum quidem pollicem breuius esset, motus brachii omnes eadem, qua antea, facilitate peragerentur et, quantum tactus ope iudicari posset, humeri caput ipsum perfecte restitutum esset. Sub curatione Cl. Auctor nullis fasciis, ferulis, vel aliis machinis brachium in vno eodemque situ seruare conatus est, qua simplici methodo

*) Conf. Aduers. Med. Practic. Vol. III. p. 45. seq.

thodo ſine dubio id obtinuit, vt liber brachii motus etiam poſt operationem ſuperſtes remaneret. Cum in hoc caſu caput oſſis humeri iam ex parte reſtitutum videretur, antequam portio oſſis corrupta, inter hoc caput et os ſanum poſita, ſeparata eſſet: apparuit callum, quo amiſſa integra oſſium fruſtra reſarciuntur, non ex oſſis fracti extremitatibus tantum, ſed et ex proximis arteriolis exſudare et quaſi ſecretionis ope in vacuum locum deponi. Denique haec obſeruatio probat amputationem humeri in articulo, capite etiam hoc carie affecto, non ſemper inſtituendam eſſe, cum operatio, quae hic deſcribitur, non adeo periculoſa ſit, et brachium integrum ſeruetur. Idem de amputatione femoris in articulo quoque valet *).

7) *Epiſtola* Cl. WILL. BORLASE ad Cl. MORTON, *in qua relatio de ſtanno natiuo in Cornubia reperto continetur.* Iam ante aliquot annos ſtannum natiuum in Cornubia a Cl. ROSEWARNE repertum fuiſſe alio loco monuimus **). Nunc aliud huius rei exemplum idem inuenit, ſtannum nimirum cryſtalliſatum (*tin diamond*, Germanis *Zinngraupe*) rubeſcens vel granatico colore praeditum (*of the rozin kind*), vbi in cuiusdam cryſtalli medio fragmentum natiui ſtanni incluſum eſt. p. 47.

8) *Commentarius de origine papyri naturalis, circa vrbem* Cortona *in* Toſcania *reperiundae.* Auctore Cl. JOHN STRANGE. Probat materiam illam papyro p. 50.

*) Si iconem contemplamur, ſuſpicio epiphyſeos relictae non ſine fundamento eſſe videtur.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 498. Act. Acad. Stockholm. Vol. XXVIII. p. 231. LINNAEI Syſtem. Natur. Edit. XII. T. III. p. 236. et Phil. Tranſact. Vol. LVI. p. 35 et 305. Conf. Cronſtaedt. Mineral. ex edit. Cl. BRÜNNICHE p. 199.

papyro (vel panno tenui, ex ſerico confecto, quod noſtrates *Watte* vocant) ſimili, qua etiam apud nos poſt inundationes prata obteguntur, non ex fibris diuerſarum plantarum filamentoſarum, ita inter ſe intertextis conſtare, ſed ad conferuas pertinere; qua occaſione botanicus *conferuae* apud DILLENIUM et LINNAEUM character varie emendatur, et ſpecimina papyri artificialis, ex hac conferua, nec non ex geniſta iuncea confectae, deſcribuntur.

p. 59. 9) *Experimenta circa vim lateralem exploſionis electricae.* Auctore Cl. IOSEPH PRIESTLEY.

p. 63. 10) *Experimenta varia circa vim exploſionis electricae.* Auctore EODEM.

p. 71. 11) *Relatio de terrae motu Macaenſi et ſingulari ſpecie ſimiarum, cauda nulla inſtructarum, quae in interiore parte Bengalenſis regionis inueniuntur.* Ex litteris Cl. DE VISME ad Cl. BAKER. Simia hic deſcripta videtur eſſe ea ſpecies, quae ab Ill. BUFFON *) *Gibbon*, a LINNAEO vero in Mantiſſa altera p. 425 *Homo lar* vocatur. Longitudo tamen manuum in figura hic adiecta non tanta eſt, quanta a BUFFONIO delineatur. Ab incolis *Golock* dicitur.

p. 74. 12) *Epiſtola* Cl. ROBERTSON a Cl. WELL, *in qua demonſtratio legis motus corporis deflexi duabus viribus, perpetuo ad duo puncta fixa tendentibus, continetur.*

p. 79. 13) *Epiſtola* Cl. PAXTON ad Cl. MILLES. In hac fulguris effectus nonnulli indicantur.

14) *Epi-*

*) Hiſtoir. natur. Vol. XIV. p. 92. comm. noſtr. Vol. XV. p. 659.

14) *Epitome obſeruationum meteorologicarum, Plymuthia. 1768 factarum.* Auctore Cl. FARR. p. 81.

15) *Relatio de aurora boreali* d. 6 aug. 1768. Lutetiis Pariſiorum a Cl. MERCIER *obſeruata.* p. 86.

16) *Obſeruationes circa probabilitatem et iudicium de vitae ſpatio, de augmento generis humani, de mutuo nexu amplitudinis et frequentiae vrbium, Londini nominatim, quoad ſalubritatem et numerum incolarum.* In epiſtola Cl. R. PRICE ad Cl. BEWIS. p. 89.

17) *Diſſertatio epiſtolaris de oſſibus et dentibus elephantum, aliarumque belluarum in America ſeptentrionali aliisque borealibus regionibus obuiis, qua indigenarum belluarum eſſe oſtenditur.* Auctore Cl. R. E. RASPE. Ex alio tranſactionum loco *) patet oſſa maiorum animalium, quae a nonnullis pro carniuoris habita ſunt, in America ſeptentrionali ad fluvium *Ohio* inuenta fuiſſe. Illa Cl. RASPE occaſionem dederunt, vt paullo accuratius in originem eorum inquireret. Demonſtrat vero ea aliaque oſſa inſolitae magnitudinis, quae in Europa et Aſia boreali reperta ſunt, alio plane modo ſepulta fuiſſe, quam corpora marina, quae profundius in lapidibus latent; hinc non eſſe peregrina, nec marina, et belluas haſce indigenas, et fato ſuo aut hominum vi exſtinctas fuiſſe. Belluas has olim in his regionibus habitaſſe, et mutatione climatis, vel axis aut figurae terrae interfectas fuiſſe plurimi putarunt, qui omnes hic egregiis argumentis a Cl. Auctore refutantur. Cum itaque haec oſſa in pluribus ab ele- p. 126.

 phan-

*) vid. Phil. Tranſact. Vol. LVIII. p. 34. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 388. it. v. obſeruationem Cl. COLLINSON. Phil. Tranſact. Vol. LVII. p. 468. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 268 et 281.

phantinis aut aliorum animalium cognitorum ossibus differant, aliae cuidam speciei incognitae, et nunc penitus deletae, adscribenda esse Noster putat. Esse potuit elephantorum species in ipso septentrione, reliquis omnibus praecellens frigoris patientia, quae forte in antarcticis nostris terris borealibus parallelis adhuc habitat. Caussam vero, cur tam ingens sceletorum et ossium aceruus in tam breui spatio Americae repertus fuerit, Cl. Auctor ponit in eo, quod belluae salis, quo terra in eo loco abundabat liguriendi deliciis in hanc paludem allectae, paludosa terra ponderi corporis cedente, ibidem sepultae fuerint.

p. 138. 18) *Relatio de singulari ratione incrementi animalculorum, in infusis variorum vegetabilium reperiundorum, cum descriptione noui salis indissolubilis ex seminibus cannabinis, in aqua putrescentibus orti.* Auctore Cl. IOHN ELLIS. Ill. DE MÜNCHHAUSEN in egregio opere, cui titulus (*der Hausvater*) praefixus est *) asseruit, semina fungorum in aqua excludi et viuere et mori, demumque figi et in fungos excrescere; quae res Ill. LINNAEUM eo permouit, vt semina haec, ex animali natura in vegetabile mutata, animalibus insereret, nomineque *chaos fungorum* insigniret **). Inuentum hoc Cel. ELLISIUM eo permouit, vt accuratius in rem tam mirabilem inquireret. Reperit vero semina haec moueri quidem, non tamen motu ipsis proprio et intrinseco, sed ab animalculis minutissimis, vix visibilibus, quae iis seminibus forte vescuntur, motum hunc excitari. Plurimas hac occasione Cel. ELLISIUS circa animalcula infusoria instituit obseruationes et in infuso seminis cannabis animalcula microscopica vidit, quae sponte

*) Vol. I. p. 149.
**) Syst. Ed. XII. p. 1326.

ſponte in duo alia animalcula ſecederent, quam tamen obſeruationem ſe primum Cl. DE SAUSSURE debere, candide profitetur. Quod vero ſal illud indiſſolubile ex infuſo ſeminum cannabinorum confectum attinet, notandum eſt illud etiam in infuſo ſeminum lini et tritici reperiri. Aqua non ſoluuntur eius cryſtalli, ſed, ſi putredo increſcit, ſenſim deſtruuntur. Hinc Cl. Auctor quaerit, num forte partes vegetabilium oleoſae, quae in ſuperficie infuſorum cum ſpuma natent, cryſtalliſentur? In tabula adiecta quinque ſpecies delineantur, quae ad genus zoophytorum, quod LINNAEUS *voluox* dicit, pertinent. Plurimae ex his pinnis minutiſſimis mouentur, quae tantum, ſi animalcula torpida fuerint, conſpici poſſunt, quod arte obtineri poſſumus, ſi gutta infuſi *geranii zonalis* LINN. infuſo, quod microſcopio examinatur, addatur.

19) *De computatione diſtantiae ſolis a terra ope theoriae grauitatis.* Auctore Cl. HORSLEY. p. 153.

20) *Obſeruationes meteorologicae in oppido* Bridgewater et Lugduan *inſtitutae* a. 1768. Communicatae a Cl. MILLES. p. 155.

21) *Deſcriptio methodi propoſitae templum cathedrale Londinenſe* S. Paulo *dicatum ab effectibus fulminis defendendi.* p. 160.

22) *Obſeruationes circa tranſitum Veneris per diſcum ſolis* d. 3. Ian. 1769. Auctore Cl. I. HORSFALL. p. 170.

23) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis in Caſtello* Sherborn *et* Oxonii *facta.* Auctore Cl. HORNSBY. p. 172.

p. 183. 24) *Similes obſeruationes* auctore Cl. HORSLEY.

p. 189. 25) *Similes obſeruationes in oppido* Kew *factae.* Auctore Cl. I. BEUIS.

p. 192. 26) *Similes obſeruationes*, a Cl. I. CANTON Londini *factae.*

p. 195. 27) *Relatio de variis inſcriptionibus ſepulchralibus et figuris* Bonnii in Germania *repertis.* Auctore Cl. I. STRANGE, in litteris eius ad Cl. WEST.

p. 198. 28) *Relatio de ſyſtemate vaſorum lymphaticorum in amphibiis*, ex epiſtola Cl. HEWSON ad Cel. HUNTERUM. Clariſſimus huius epiſtolae Auctor, qui inventione vaſorum lymphaticorum in auibus inclaruit *) eadem nunc in teſtudinis anatome detecta exponit. Impletis enim ramis eorum maioribus maſſa ceracea, minoribus mercurio viuo, obſeruavit: differre haec vaſa lymphatica a lymphaticis auium in eo, quod maiores rami, in humeri vaſa lymphatica excurrentes, nullas glandulas tranſirent. In meſenterio vaſa ſanguifera comitantur, ad cuius radicem in ſiniſtro ſpinae dorſi latere cum lymphaticis ſplenis anaſtomoſin faciunt, et rete formant, quod aortae dextrae (notum enim eſt duas in amphibiis aortas eſſe) incumbit. Canalis, qui ex hoc rete exit, vbi paullulum adſcendit, ante aortam dextram largum format receptaculum, quod intrant vaſa lymphatica ventriculi, pancreatis, duodeni cet. et ex quo ductus thoracici tres exeunt. Horum vnus in dextro latere poſitus eſt, in quem vaſa lymphatica colli aliarumque partium intrant, qui ſubclauiae dextrae immittitur, duo vero in ſiniſtro, qui aortam

*) vid. Philoſ. Tranſact. Vol. LVIII. p. 217. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 396.

aortam finiſtram vtrinque cingunt, lymphatica vaſa huius lateris recipiunt, deinde coniunguntur, et, facto plexu reticulari, ramum exeuntem ſubclauiae ſiniſtrae inſerunt. Hic plexus in auibus deſideratur. Vaſa lymphatica in contextum cellulosum orificiis ſuis hiare, et hinc contextum illum ad ſyſtema vaſorum lymphaticorum pertinere, Cl. Auctor probat.

29) *Relatio de ſyſtemate vaſorum lymphaticorum in piſcibus,* auctore EODEM. Deſcribuntur vaſa illa, qualia ea in *Gado aeglefino* Cl. Auctor reperit, quam deſcriptionem hic ommittimus. In piſcibus ſyſtema lymphaticum glandulis valuulisque penitus deſtituitur. Vaſa lactea in iis reticulum inter muſcularem villoſamque inteſtinorum tunicam formant, leniori iniectione, a parte muſculari facta, facile demonſtrandum. Praeterea monet Noſter villos inteſtinorum in omnibus, quae diſquiſiuit, animalibus ex reticulari fabrica vaſorum lacteorum conſtare, nec ea in ampullam, vt LIBERKÜHNIUS ex homine deſcripſit, terminari, cuius obſeruatio etiam hanc ob cauſſam Noſtro ſuſpecta eſſe videtur. Addit ſub finem epiſtolae indicem praeparatorum ad hiſtoriam vaſorum lymphaticorum in amphibiis et piſcibus ſpectantium, quae Regiae ſocietati exhibuit. p. 204.

30) *Litterae* Cl. LANE ad Cl. CAUENDISH *de ſolubilitate ferri in aqua ſimplici ope aeris fixi.* Solutionem ferri in aquis mineralibus vtplurimum a chemicis acido cuidam minerali volatili tribui notum eſt, quae tamen aquae alcali potius abundant. Cum vero per experimenta Cl. CAUENDISH *) pateat, terram calcaream ope aeris fixi in aqua ſuſpendi p. 216.

*) vid. Philoſoph. Tranſact. Vol. LVI. p. 141. comm. noſtr. Vol. XV. p. 504.

pendi, ſimile quid cum ferro fieri Cl. Auctor ſuſpicatus eſt, quod et experimenta eius probant. Monemus tamen inter illa quaedam eſſe, in quibus ſolutio ferri acido forte ſubtili, ex materiis fermenteſcentibus exhalanti, adſcribenda eſt.

p. 228. 31) *Relatio de variis phaenomenis, ſub ingreſſu veneris in diſcum ſolis obſeruatis.* Auctore Cl. HIRST.

p. 236. 32) *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis* d. 3. ian. 1769 *in vrbe* Leiceſter, *facta* a Cl. LUDLAM.

p. 241. 33) *Epiſtola* Cl. I. HOPE ad Cl. WATSON *in qua rara planta, in inſula* Skye *reperta, deſcribitur.* In loco quodam huius inſulae haec planta a Cl. ROBERTSON detecta eſt, quam Cl. Auctor *Eriocaulum decangulare* eſſe putat, eiuſque deſcriptionem vberiorem hic communicat.

p. 247. 34) *Obſeruationes aſtronomicae*, a Cl. HOLLAND *in America ſeptentrionali factae.*

p. 253. 35) *Obſeruationes aſtronomicae in inſula* Hammerfoſt, a Cl. DIXON *factae.*

p. 262. 36) *Obſeruationes ſimiles* in Promontorio ſeptentrionali (North Cape) *factae*, a Cl. BAYLE.

p. 273. 37) *Obſeruatio tranſitus veneris* in inſula Coudre *ad* Quebecum *facta* a Cl. WRIGHT.

p. 281. 38) *Caſus ſingularis ex epiſtola* Cl. GOOCH *ad* Cl. WARNER. Vir quinquaginta annorum, laxiori corporis habitu praeditus, per decem annos febre ſingulari, in anni ſpatio bis recurrente, laborare

ſolet,

ſolet, quae catarrhalis ſpeciem prae ſe fert, iuncto tamen eo ſymptomate, vt pruritum inſignem cutis, praeſertim circa articulos, ſentiat, quem maculae in cute rubicundae, tumor exiguus et rigiditas digitorum ſequuntur. Quae vbi per viginti quatuor horas durauerint, cuticula in toto corpore ſeparatur, ita vt in quinque digitis manuum pedumque, forma chirotecarum, vna cum vnguibus ſecedat, non ſine inſigni aegri dolore. Reparatur tamen damnum illud mox noua cuticula, quae primis diebus maxime ſenſilis eſt, vngues vero intra ſex menſes reſtaurantur.

39) *Obſeruatio ingreſſus veneris in ſolem*, d. 3. Iunii 1769. *habita* Gryphiswaldae a Cl. MAYER. p. 284.

40) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 4. iun. 1769 a Cl. SMEATON *habita*. p. 286.

In parte ſecunda pauciores obſeruationes occurrunt, quae propius ad nos pertinent, cum plurimae ex iis de aſtronomicis rebus tractent. Reperiuntur vero in ea ſequentes : p. II.

41) *Relatio de tranſitu veneris per diſcum ſolis in* Penſyluania d. 3. iun. 1769. *obſeruato, communicata* a Cl. MASKELYNE. p. 289.

42) *Obſeruationes eiusdem tranſitus habitae in* Suecia. *Communicatae* a Cl. P. WARGENTIN. p. 327.

43) *Obſeruationes ſimiles* a Cl. WILSON, Glasgouii *factae*. p. 333.

44) *Similes obſeruationes*, a Cl. LIND prope Edinburgum *factae*. p. 339.

45) *Si-*

p. 347. 45) *Similes obſeruationes* Gibraltariae *factae* a Cl. IARDINE.

p. 351. 46) *Obſeruationes*, a Cl. WINTROP Cantabrigiae *in* Noua Anglia *factae.*

p. 359. 47) *Commentarius de varia quantitate pluuiae, quae in vno eodemque loco in varia altitudine deſcendere videtur.* Auctore Cl. HEBERDEN.

p. 363. 48) *Obſeruatio eclipſis lunae, prope* Edinburgum *facta* d. 12 dec. 1769 a Cl. LIND.

p. 367. 49) *Relatio de auroris borealibus duabus*, Oxonii *obſeruatis* a Cl. SWINTON.

p. 374. 50) *Relatio de tranſitu veneris per ſolem* Lutetiis Pariſiorum *obſeruato.* Ex litteris Cl. DE LA LANDE et MESSIER.

p. 378. 51) *Relatio de eodem tranſitu* Londini a Cl. AUBIN *obſeruato.*

p. 379. 52) *Relatio de oleo ex* Carolina ſeptentrionali *a* Cl. BROWNRIG *tranſmiſſo*, auctore Cl. W. WATSON. Cum in America olea non creſcat, et inſignis olei copia quotannis ex Europa huc transferatur, nouum hoc inuentum oleum omnino attentionem meretur. Praeparatur vero ex ſeminibus plantae, quam LINNAEUS *Arachin* vocat, quae ex Africa a nigritis ſeruis allata nunc in America vbique fere colitur, cum ſemina eius, ex quibus oleum hoc expreſſione obtinetur, victus loco adhibeantur. Neque ſemina, neque oleum ipſum rancidum fieri aſſeritur. Ab Anglis haec planta *groundpeaſe* vocatur.

53) *Ca-*

53) *Catalogus quinquaginta plantarum regiae societati, ex horto Chelſeano* a. 1768. *exhibitarum* a Cl. HUDSON. p. 384.

54) *Deſcriptio vaſorum lymphaticorum vrethrae et colli veſicae*, auctore Cl. W. WATSON. p. 392. Quamquam multorum eruditorum ſtudium eo fuit conuerſum, vt lymphaticorum vaſorum naturam in homine declararent, nondum tamen anatomici eo peruenerunt, vt completum vaſorum horum ſyſtema conficere poſſent. Plures enim partes eſſe, quarum vaſa lymphatica adhuc ignorantur, neminem latet. Inter illas vrethra eſt et veſica vrinaria, quas tamen vaſis his non deſtitui, Cl. Auctoris deſcriptio hic tradita probat. Communia habent haec vaſa plura cum vaſis ceterarum partium, vt progreſſum in ſuperficie, teneritatem, pelluciditatem, anaſtomoſes, valuulas cet. Incipiunt in vtroque latere capitis gallinaginis et paruulis orificiis reſorbentibus in interna membrana veſicae et vrethrae aperiuntur. Excurrunt ſuper proſtatam et collum veſicae, iunguntur crebrius inter ſe, continuantur in contextum cellulоſum tunicae veſicae internae ſubſtratum, et anaſtomoſin patiuntur cum lymphaticis vaſorum ſeminalium, cum quibus ad vicinas glandulas conglobatas et tandem ad ductum thoracicum, vti omnia fere reliqua lymphatica vaſa, tendunt. In membranacea tantum vrethrae parte, eiusmodi vaſa reperiuntur, in qua maxima liquoris copia inuenitur. Frequens inflammatio et induratio, quas orificia eorum experiuntur, ſine dubio cauſſae ſunt illius ſpeciei gonorrhoeae benignae, quae raro vel nunquam curatur, et ex accumulatione fluidorum tenuium, reſorptione eorum impedita, oritur. Mediantibus his vaſis virus quoque venereum ad ipſam maſſam humorum vniuerſalem, ſine vllo malo

malo locali praegreſſo transferri poteſt. Adiecta eſt huic deſcriptioni tabula aenea, in qua vaſa haec vrethrae et colli veſicae lymphatica delineantur.

p. 399. 55) *Eclipſis primi ſatellitis iouis cet. in obſeruatorio Greenwichienſi obſeruata.*

p. 402. 56) *Obſeruatio ſimilis* a Cl. WILSON *facta.*

p. 404. 57) *Obſeruationes aſtronomicae* in Suecia *factae* ex literis Cl. FERNES.

p. 407. 58) *Obſeruatio tranſitus veneris* in *vico* Eaſt Dereham *a* Cl. WOLLASTON *facta.*

p. 414. 59) *Obſeruatio eiusdem tranſitus in Penſyluania facta,* a Cl. FRANKLIN *communicata.*

p. 422. 60) *Obſeruatio eiusdem tranſitus in arce Windſorienſi facta* a Cl. HARRIS.

p. 432. 61) *Explicatio duorum nummorum Samniticorum* auctore Cl. SWINTON.

p. 444. 62) *Obſeruatio tranſitus veneris in Marylandia facta* a Cl. LEIDS.

p. 446. 63) *Experimenta, quae probant cauſſam luminis, quod nocturno tempore in mare obſeruatur, ex putrefactione ſubſtantiarum animalium oriri.* Auctore Cl. CANTON. Notum eſt variare multum eruditorum circa originem lucis huius ſententias, et recentiores fere omnes illud vermiculis, in aqua marina viuentibus, tribuere. Contraria vero ratione Cl. Auctor illud putredinis eſſe effectum contendit, illudque variis experimentis comprobare tentat.

Piſci-

Piſcibus enim, inprimis *Gado merlango* et *halece* in aquam marinam immiſſis, et vaſe in gradu caloris 54 thermometri Fahrenheitiani graduum detento, putredine accedente piſcis lumen ſpargere incepit, eaque aucta aqua ipſa luceſcebat. Increuit tamen tantum per viginti quatuor horas, quibus elapſis, nullam amplius lucem edidit. Comparatis vero his phaenomenis cum aqua fluuiatili, in qua piſcis putredini relinquebatur, nihil eiusmodi in hac aqua apparuit. Aqua autem ſimplex, cui ſal marinum ea doſi admixtum fuerat, vt aequalem grauitatem ſpecificam cum aqua marina obtineret; idem praeſtitit, cum e contrario aqua, cui tanta ſalis copia admiſcebatur, quantam continere poſſet, nullum lumen ederet. Piſces in aqua marina vel modice ſalſa celerius, quam in dulci, aut in ea, cui maior ſalis copia addita fuerat, putredinem ſubeunt.

64) *Obſeruationes aſtronomicae* Lutetiis Pariſiorum a Cl. MESSIER *factae*. p. 454.

65) *Obſeruationes aſtronomicae* a Cl. WATER et DYMOND *factae, in ſinu Hudſoniano.* p. 461.

66) *Epitome litterarum* a Reu. Patribus Soc. Ieſu Pekini in China *commorantibus ad Regiam ſocietatem ſcriptarum, in qua de characteribus Sinenſibus, eorundemque cum hyeroglyphicis characteribus Aegyptiorum conuenientia agitur.* p. 489.

67) *Relatio de tranſitu mercurii per diſcum ſolis* d. 25 octobr. 1743. Cantabrigiae in noua Anglia *obſeruato* a Cl. WINTHROP. p. 505.

68) *Methodus lentes obiectiuas teleſcopiorum refringentium accurate ſphaericas parandi.* Auctore Cl. SHORT. p. 507.

VII.

Pharmacopoea Heluetica in duas partes diuiſa, quarum prior materiam medicam, botanico-phyſico-hiſtorico medice deſcriptam; poſterior compoſita et praeparata modum praeparandi, vires et vſum exhibet, ſcitu et conſenſu gratioſi collegii medici Baſileenſis digeſta. Praefatus eſt Ill. ALBERTUS DE HALLER, accedunt ſyllabus medicamentorum in claſſes diuiſus et duo indices neceſſarii, primus morborum et curationum, alter trilinguis lat. germ. gall. Baſileae ſumtibus et litteris Ioh. Rod. Imhof. et filii. 1771 fol. Alp. 7. pl. II.

Quo latius patent rei medicamentariae fines, eo difficilior eſt diſpenſatorii conficiendi labor, relatus inprimis ad adeo diuerſum medicorum ſtudium iudiciumque. Siue enim praeſtantiſſima tantum ſelectiſſimaque cogantur, quae ab haud paucis adhuc deſiderentur, ſupererunt varia; ſiue amplius moliaris opus, quae abeſſe malint multi, nunquam deficient. Aequi tamen alienae induſtriae iudices, atque a prauo partium ſtudio remoti, inſtitutum laudabunt vtrumque, probabuntque vt perutile, proque ſcribendi conſilio diuerſo valde quoque neceſſarium. Et ex ampliorum quidem pharmacopoearum genere ea iam eſt, quam indicamus, Heluetica, conſcripta a viris, quorum nomina quidem latent, peritia tamen et doctrina abunde ſatis elucet; a talibus idcirco, qui digni erant, quorum laboribus praefararetur Ill. HALLERUS. Cuius quidem ſummi viri praefamen, vti complura habet vtiliſſime dicta, ita quoque varias de ſimplicibus continet animaduerſio-

nes,

nes, tum ex proprio obſeruationum penu, tum aliunde petitas, quibus, quae in opere ipſo dicta ſunt, vel emendantur, vel adaugentur confirmanturque. Sic notat inter alia, pro aſaro, quod equis, ad vomendum natura non factis, male propinari monet: hominibus thoram venenatam dari in alpibus occidentalibus: tithymali cataputiae grana aluum ducere, eſſeque grati ſaporis, neque rari in Aquilecenſibus vſus: chamaepityos infuſum theiforme in ſenum arthritide vere profuiſſe. Colchici radicem recentem rapacei ſaporis plane, vt vult *) Cl. KRATOCHVILL abſque noxa comedi: ob inertiam diffitendum eſſe anagallidi, lycoperdo ceruino, brunellae, betonicae: ob veneni ſuſpicionem lycoperdo bouiſtae, coccinellae, granis kermes, euphraſiae, mercurialis, ſcrophulariae toti claſſi: ob acre rancidum ſpermati ceti, foeniculi et meliloti virtuti emollienti: gummi copal minerale eſſe bitumen: gummi gutta vſum ſe eſſe vigeſies abſque noxa, ſi flatulentum ventriculi tumorem excipias: ebuli ſemina potenter mouere vrinam, ineſſe tamen ingrati quid, quod diu non feras: helleborum, vt ranunculos, per vetuſtatem forte acrimoniam deponere: iridem paluſtrem luteam pariter eſſe acerrimam, aluumque ducere: ſpongiam vſtam ſtrumas nondum confirmatas ſoluere, cum ſaccharo datam, vi, vt videatur, falſa, quum ſolus aer marinus grandes ſtrumas diſſipet. Praefationem excipiunt diſſertatiunculae de pharmacopoei dotibus et ſtudiis, de eiusdem officiis, de vſu diſpenſatorii, atque de medicamentorum nominibus fallacibus, compendioſis, ambiguis, lectu perquam vtiles.

Ipſum opus, vt inſcriptio iam docet, bipartitum eſt, parteque priore ſimplicia, et quae in officinis

 non

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 130.

non parantur, ſed aliunde tranſmiſſa habentur, ordine exponuntur alphabetico, nominibus tum vulgo receptis latinis, francogallicis, teutonicis, tum in hiſtoriae naturalis auctorum praeſtantiſſimorum veterum recentiorumque monumentis vſitatis; indicatis ſimul optimis vegetabilium depictorum iconibus, remediorum locis natalibus, bonitatisque notis; adiecta praeterea virium medicatarum breui et ſobria declaratione. Additus eſt index tam francogallicorum, quam teutonicorum nominum.

Altera parte praeparata pariter atque compoſita ſiſtuntur, itidem ad literarum ordinem, non ſolum ex aliis id genus libris petita vberrima, ſed etiam paſſim noua, nuſquam adhuc dicta; vel ſaltim rectius praeſcripta; interdum nimia; quae tamen vel nomine tenus tantum laudare breuitatis ſtudioſis nobis haud licet. Subiecta eſt cuilibet medicamini virtutum modique in morbis vtendi ſignificatio breuis, concinna, non nimium laudatrix, cautelis quoque additis congruae applicationi proſpiciens. Allata etiam paſſim eſt virorum doctorum fideque dignorum auctoritas, qui de vera medicamentorum praeparatione et vtilitate ſcienter atque recte praeceperunt. In ſyllabo repetuntur praeparatorum compoſitorumque ad claſſes ſuas reuocatorum nomina et in indicibus, priore quidem, quaenam cuilibet morbo curando inſeruire poterant remedia, intus extuſue applicata; poſteriore, quibus nominibus illa tum Francogallis, tum Germanis veniant, indicatur. Vnde quidem apparet, qui pleniorem cupiant pharmacopoeam, iis hanc maximo iure poſſe commendari.

VIII. Phar-

VIII.

Pharmacopoea Danica regia auctoritate a collegio medico Havnienſi conſcripta. Havniae apud Heineck et Faber, Bibliopolas, Typis Nicolai Mölleri, Aulae Typographi 1772. 4. mai. Alphab. I. pl. 20. c. praef.

Quo plenior erat Heluetica pharmacopoea, eo haec Danica contractior eſt. Eſt et ipſa in duas diſtincta partes. Prima offeruntur ſimplicia, non omnia, ſed ſelecta ad trium naturae regnorum ordinem. Addita ſunt officinalibus nominibus vernacula Danica, Noruagica, Lapponica, Germanica, inque vegetabilibus Linnaeana triuialia; ſique indigena planta eſt, vbi in Flora Danica icon exhibeatur, indicatum fuit. Sequuntur characteres ſenſibus obuii, ſaporis, odoris, figurae. Traditur porro locus natalis, canoneſque generaliores de collectionis tempore et aſſeruationis modo proponuntur. In notis bonitatis exponendis magna poſita eſt opera, inprimis ſi de exoticis agitur, et praeſtantioribus medicamentis, vt ſunt cortex Peruuianus, moſchus, manna, aliaque.

Altera pharmacopoeae huius pars medicamenta compoſita et praeparata exhibet. Multa hic compoſitorum fruſtra quaeſieris, alia tamen egregia et nobilia inuenies, tum ex optimis auctoribus hauſta, vt eſt v. c. Elixir balſamicum WERLHOFII, tum noua quoque haud pauca. Sunt etiam alio plane et concinniori modo praeſcripta, e quibus tantum Elixir pectorale RINGELMANNI, vulgo Regis Daniae, laudaſſe ſufficiat. Quum enim in aliis diſpenſatoris formula eius extet ampliſſima, hic ita deſcriptum habetur, vt extracti liquiritiae vnciae

ſex, aquae foeniculi libra vna, tresque librae ſpiritus ſalis ammoniaci aniſati inuicem mixtae per viginti quatuor horas digerantur, deinde colentur. Si quae compoſitiones ſunt, quae recentem, dum praeſcribuntur, exigant praeparationem, aſteriſco eae fuerunt indicatae. Claſſibus illis medicamentorum, quorum ſimilis eſt praeparatio, praefixi ſunt ſui cuilibet canones. Ordo ceteroquin hac in parte alphabeticus ſeruatur. De viribus medicaminum, et de morbis, aduerſus quos poſſint valere, additum nihil eſt, quippe quae medicum rationalem et vere doctum fugere nequeunt.

IX.

Traité des maladies des yeux, et des moyens et opérations propres à leur guériſon, par LOUIS FLORENT DESHAIS GENDRON, Profeſſeur et demonſtrateur Royal pour les maladies des yeux aux écôles de chirurgie, et adjoint de l' academie Royale de chirurgie Tom. I. à Paris, chés Claude I. B. Heriſſant 1770. 12. plagg. 16. cum dedicatione et praefatione. Tom. II. ibid. eodem 12. plagg. 17½ cum praefatione.

h. e.

Tractatus de morbis oculorum, eorumque curatione Auct. LUDOVICO FLORENTIO DESHAIS GENDRON, Tom. I. II.

Fuſum ſatis, et ex aliis ſcriptoribus vt plurimum congeſtum, offert nobis Cl. Auctor opus: in quo quidem recenſendo ideo breuiores erimus, cum plera-

pleraque iam cognita sint, vel parum ex propria experientia, quamuis per quadraginta annos morbos oculorum tractauerit, probatum adiiciatur.

Continet tomus primus partem anatomico-physiologicam oculi, cum pathologia palpebrarum; alter morbos bulbi complectitur. Ex anatomicis ea notatu digniora nobis videbantur, cum humorem crystallinum ex arteria lymphatica, per ipsum vitreum humorem traducta, quae lympham suam lentem inter et capsulam deponat, vbi a lente absorbeatur, deriuet. Veram porro et solam sedem visus in tunica choroidea ponit. Etsi vero haec sententia a multis doctis viris reprobata est, nec cum ipsa experientia conuenire videtur; his tamen argumentis confirmare tentat: 1) substantiam cerebri insensibilem, ita etiam neruum opticum, Auctore Cl. MARIOTTE, omnis sensationis expertem esse; 2) piam matrem verum organon sensationum esse, ideo etiam tunicam choroideam, vt propaginem piae matris, organon visus constituere, praesertim cum solida ea sit, elastica, admodum sensibilis, et nigredine sua radios absorbeat, ne diffundantur; 3) in plurimis oculi inflammationibus solam choroideam pati, retina insensibili cet. Quid vero de hac sententia statuendum sit, et quousque haec argumenta eam probare possint, non decernimus; iudicio potius atque perspicuitati aliorum relinquendum putamus. Tom. I. p. 60. p. 98.

Iam ad pathologiam palpebrarum cum Nostro accedimus: nec hic omnes morbos, eorumque diuisiones, quae multae sunt; neque caussas eorum multiplices, vel diagnoses et prognoses; nec tandem methodum medendi, quae noua vt plurimum non videtur, recensebimus; quaedam potius, non plane contemnenda, eligemus. Tumores cy- p. 133. p. 195.

 sticos

ſticos palpebrarum Cl. Auctor ſaepiſſime per ſal culinare, aqua ſolutum, diſcuſſit. Si eiusmodi tumores in ſuperficie interna palpebrarum proxime ad cantum oculi internum conſpiciuntur, viae lacrymales facillime ab operatione laeduntur; viis vero lacrymalibus ipſis iam laeſis, operatio plane ceſſet; ſin tumor ſedem ſtatim ſub cute externa habeat, cutis ipſa tranſuerſim a canto interno ad externum incidatur, ne muſculo orbiculari officiamus; interna autem cutis, ſi tumor ibi appareat, per longitudinem incidatur, vt leuator palpebrae ſaluus maneat. Inſtrumentis ab aegro reformidatis, butyrum antimonii inter cauſtica eminet. Suturam quoque cruentam in vulneribus palpebrarum emplaſtris glutinantibus ſemper poſt habendam eſſe
p. 249. defendit. In relaxatione palpebrae ſuperioris h. e. ſi ea iuſto longior ſit, faſciam comprimentem, aqua calida et ſpiritu vini camphorato imbutam, nec non fumigationes ex decocto roborante ſuadet, cum operatio, qua ſuperabundans pars praeſcindatur vel anceps ſit, vel ſi aeger aetate prouectior, aut malum iam inueteratum ſit, plane nulla iudicetur. Sic
p. 254. et in retractione palpebrae ſuperioris ſ. lagophthalmo operationem, accurtatam partem prolongandi, prorſus diſſuadet, cum vulnus linteis carptis difficile extendi, nec labia eius a ſe inuicem ita diduci poſſint, vt ex lata cicatrice prolongatio palpebrae
p. 267. ſequatur. In ancyloblepharo, vbi palpebrae verſus ſe inuicem, vel cum cornea concretae ſunt, ſolam ſeparationem, per filum ſericum, ſpecillo applicandum, vel ſcalpellis variis inſtituendam, locum habere aſſerit, porro ne iterum concreſcant, interponenda lamina plumbea caueatur.

p. 305. Fiſtulae lacrymalis cauſſas vel extra vias lacrymales deriuat, vel in iis ipſis quaerit. Accidere interdum aſſerit, vt materia in ſacco lacrymali contenta

tenta, viam, inter ſomnum aegri, per naſum vltro ſibi paret, cuius tamen contrarium paullo poſt defendit. Cum Cl. ST. YVES aſſerat, ſaccum lacrymarum, ſtante aegro, plicam formare, qua ductus inferior tegatur; Noſtro probabilius videtur, materiam in ſacco contentam, tranſpiratione per noctem diſſipatam, denuo inter vigilandum, ex compreſſione glandulae lacrymalis, et ſecretione lacrymarum, in ſaccum vacuum ductarum, reſtitui. Fuſius methodos Cl. LA FOREST, PETIT, MEJEAN et CABANIS perſtringit, docetque, nullam earum ſemper ſatisfacere, quippe meliores et faciliores inuentu ſint, quam applicatu. Suppuratione facta, iniectionem ex decocto conueniente ſuadet, cui deinde turundas plumbeas (tente de plomb) ſubiungit, iisque ſaepius repetendis multum vtilitatis tribuit. Corpora tandem peregrina in oculum immiſſa, grauibus ſymptomatis ſtipata, cito et vi, ſi opus eſt, extrahi monet: ſic ſpinam in puero, ad duos digitos tranſuerſales in oculum iniectam, poſt duos dies vi extraxit, oculo tamen coeco relicto. p. 340. p. 378.

Alterum tomum Cl. Auctor ita abſoluit, vt morbos bulbi ipſius, vel partium, quae bulbum cingunt, pertractet, eosque in tunicarum, humorum neruorumque diſtinguat: earumque partium aegritudines demum ſubiungat, quae poſt bulbum in cauitate orbitae conſpiciuntur. Ophthalmias primum perpendens corneam interdum ita inflammari docet, vt tota rubeat: oculos vero interdum inflammari et rubere, ſine vllo dolore ab aegris percepto, quam ex ruptis vaſis ſanguineis coniunctiuae, ſanguineque in contextum celluloſum coniunctiuae effuſo deriuat. Cum inflammationum oculorum cauſſam in primis viis non quaerat, earum euacuationum To. II. p. 5.

num rationem non satis habet: summa enim cautione eas tum, cum morbus in decremento sit, ad-
p. 25. hibendas esse; interdum tamen, quem quidem statum non definit, in plethoricis purgantia, quid? quod ipsa emetica sub initium morbi requiri. Inter collyria aquam ophthalmicam Cl. DACQUIN *)
p. 32. admodum commendat. Ophthalmoxysin dissuadet, eique discissionem vasorum varicosorum cum lanceola, cum tutior et minus dolorifica sit, prae-
p. 38. fert. In puero Noster bulbum oculi per oedema tunicae coniunctiuae, ex cacochymia scrophulosa oriundum, ad oui gallinacei magnitudinem exten-
p. 69. sum vidit. Operatio in hypopyo ex eo non satis tuta videtur, cum maturitas puris saepissime nos lateat, indeque, quo iusto tempore incisionem instituamus, incerti reddamur: hinc consultius agi, si hypopium sibi relinquatur, donec sibi ipsi viam paret. Pus enim in camera dolores non creare, nec ob crassitiem suam per factam aperturam transire posse, vulnus mox iterum claudi, vt ita pus nouam viam sibi faciat necesse sit: duas ergo cicatrices oriri, eamque ex vulnere artificiali maiorem et deformiorem fieri. Quam sententiam Auctor ex adiecto exemplo probat. Quousque vero ea stare possit, numne cum experientia conueniat, non determinamus.

In

*) Aqua haec sic paratur: R. Tutiae Alexandr. in aqua rosar. ter ablut. et super porphyriten tritae; Caryophyll. puluerisat. aa. vnc. vnam et dimidiam; Sacchar. cand. vnc. vnam; Camphor. et aloes aa. drachm. vnam et dimidiam; Vini Hispan. libras quatuor; Aquae rosar. pallid. libram dimidiam; Aquae chelidon. foenicul. euphras. et rutae aa. vnc. duas. Mixta haec digerantur per quindecim dies, et seruentur.

In leucomate porro aloe, et inter topica colly- p. 84.
rium ex bile lucii piſcis vel anguillae, aqua roſarum,
foeniculi, chelidonii et ſaccharo cando paratum
palmam reliquis praeripiunt; operationem vero in-
utilem iudicat. Sic et compreſſionem in ſtaphylo- p. 114.
mate diſſuadet, cum ea haud raro totus oculus per-
ditus ſit; operationem vero CELSI commendat;
quae tamen, ſi tumor lata gaudet baſi, nulla eſt.
In exemplo quodam, vbi ſtaphyloma ex vlcere or-
tum erat, aquam viridem et lapidem infernalem
ſalutares habuit. Paracentheſin in hydrophthal- p. 143.
mia tum demum inſtituendam eſſe, cum dolor ve-
hementia ſua excedat, reliquaque medicamina fru-
ſtra adhibita ſint; noxiam vero, operatione abſo-
luta, compreſſionem ſaepiſſime inuentam fuiſſe aſ-
ſerit. Vueam, interdum ad laminam internam cor- p. 270.
neae accreſcentem, a Cl. DEMOURS primum de-
ſcribi aſſerit: hinc et eius conſilio plaudit, qui ocu-
los radiis lucis varie mutatis, h. e. nunc luce, nunc
tenebris conſpicuis, exponi ſuadet, vt inde vueae
partes ex ſitu ſuo quoque varie mutentur, recteque
rurſus componantur. Hoc conſilium et tum va- p. 177.
lere, ſi, vulnerata cornea, vuea in vulnus intraue-
rit; vueam enim, per fortiores radios lucis motam,
ſaepiſſime ex vulnere retrahi, experientia probat.
Nec ophthalmiis male conſuli, ſi radii lucis in ocu-
los inflammatos interdum intrarent: oculo enim
eiuſmodi nimis diu omni lumine priuato, pupillam
omnem ſeſe contrahendi vim amittere, et nimis
dilatatam manere ſolere credit. Imagines, oculis p. 210.
obuerſantes, quas fixas et fluctuantes defendit, ex
maculis opacis, in cornea, capſula lentis cryſtallinae,
vel membrana hyaloidea, ſitis, vel in humore aquo-
ſo innatante, vel tandem ex lacrymis alienatis deri-
vat. Cum in gutta ſerena pupilla aegroti oculi dila- p. 223.
tata et immobilis maneat, ſi altera oculi ſani contra-
hitur,

hitur, etiam vitium externum, quod plurimi aucto-
p. 229. res negant, locum habere monet; sed nec pupillam in gutta serena semper praeternaturali modo dilatari, interdum insigniter contrahi cum dolore premente in osse frontis et radice nasi obseruatum est. Exemplum adiicit Cl. Auctor pueri, gutta serena post febrem miliarem adfecti, solis emeticis et purgantibus, saepius repetitis, sanati.

p. 256. Cataractae Cl. Auctor varias species, variique coloris adfert, quarum et nonnullas haereditarias obseruauit. Matura ea tum cognoscitur, si lens crystallina tota obscura est, h. e. obscuritas in omnibus eius punctis aequalis, adeo, vt pupilla vel prorsus alba, vel alio colore praedita conspiciatur, nec vllum ab aegro obiectum possit discerni, cum ipsis non nisi vmbrae appareant. Si malum venereum in caussa est, frictiones mercuriales commendat.
p. 272. Sic iuueni Auctor, cui dimidia pars lentis crystallinae post varios morbos venereos obscurata erat, vt obiecta ad dimidiam tantum partem conspiceret, per frictiones mercuriales bonum restituit visum. Cum extractionem depressioni praeferat, duas addit conditiones, vbi haec illa tutior Nostro videtur: in cataracta complicata h. e. si inflammatio continua vel periodica aegrum vexant; vel si palpebra inferior inuersa sit, ne pupilla a palpebris iuste pos-
p. 276. sit tegi; monet vero, in depressione, motus et mutationes acus in oculo semper esse debere concentricos, h. e. proportionatos figurae oculi eius, qui operationem instituit. Cl. FERREIN methodum, etsi aliorum perlustret, non refert; ipse vero, si cuspidem acus in lente crystallina firmauerit, acum cum duobus digitis versus os temporum imprimit. Exemplum adiungit, vbi lens inter operationem in cameram anteriorem prolaberetur; quae tamen non diu post, per pupillam regrediens, ad fundum

came-

camerae posterioris tenderet, vt ita aegro visus restitueretur. In extractione chirurgum attendere iubet, ne humor vitreus, qui difficilius tardiusue restituatur, copiosius effluat: inde aegrum, quo id euitetur, inter operationem supine iacere oportet. Methodum Cl. DAVIEL, cuius instrumentis, excepto forcipe, simul vtitur, aliis, quas nonnullas communicat, praefert; ab ipso tamen in eo dissentit, cum operationem in ipsis initiis cataractae instituit debere neget. p. 288.

Protuberantiam lentis Noster ex humore crystallino, a blanda sua et naturali indole ita recedente, vt volumen eius inde augeatur, pelluciditas et figura recta perdantur, et lens ipsa iusto solidior fiat, deriuat. In femina Noster eiusmodi protuberantiam vidit, quae et iridem et vtramque cameram occuparet, quid? quod ad corneam vsque fere accederet, vt ergo plenaria adesset coecitas; cum vero hoc malum non nisi extractione possit tolli, iure monet, lentem antea debere extrahi, quam ad eiusmodi insignem magnitudinem increuerit. Ex obseruatione adiecta quoque patet, posse oriri hoc malum ex humore crystallino et vitreo ossificatis, quam ossescentiam etiam membranae ostendunt. Lens porro ex sede sua vi propellitur, vt 1) in capsula sua versus latera tantum prematur, 2) versus pupillam procedat, 3) pupillae proxima sit 4) in camera ipsa tandem anteriore propulsa sedem figat, vbi iridem inter et corneam subsistat, cuius exemplum Noster obseruauit. Lentem in eiusmodi statu vtplurimum mox pelluciditatem suam amittere; interdum vero diutius eam seruare solere; Pupillam semper simul insigni modo dilatari, vt visus inde obscurior nascatur. Priores species per se vtplurimum curantur; vltima vero operationem requirit. Iuuenis lentem per frictionem oculi ex situ p. 314. p. 316. p. 320. p. 325.

suo

ſuo mouit, vt obiecta inde obſcure et imperfecte diſcerneret; poſtero vero die lens ſponte ſedem
p. 327. ſuam repetiit, et viſus recte reſtitutus eſt. Abſceſſus lentis ex congeſtione puris, vel in eius ſubſtantia, vel in ſuperficie tantum declarat Auctor. Auxilia, quibus myopes presbyopesque iuuantur, plenius
p. 348. recenſet. Nonagenarius, iam diu presbyops, poſt
p. 404. grauem morbum recte reſtituebatur. Oculus interdum carcinomatica labe afficitur, in quo ſola exſtirpatio locum habet: facilior redditur, ſi humores effundantur, antequam oculus exſcindatur. Reliqua omittimus.

X.

D. BALTHAS. LUDOVIC. TRALLES ad Ill. viri CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIGII diſquiſitionem de vi opii cardiaca, aduerſariis medico practicis *) inſertam, humaniſſima reſponſio. Vratislauiae ſumtibus Io. Erneſt. Meyeri. 1771. 4. pagg. 67.

p. 8. Velit Cl. Auctor probe penſitetur, ſe, dum opii vim cardiacam vrget, loqui de prima actione eius in circulum vitalem, neque ſollicitum eſſe de iis, quae deinde hanc primam et immediatam actionem, tandem exſpirantem, et abſolutam, et finitam ſequantur. Atque ita largitur Noſter lubenter, ſumto opio, languere poſſe et ſolere circulum, poſtquam antea ille auctus fuerit. Id quod ex torpore et ſtupore poſt vſum opii relictis et ex aliis, quae ſequuntur illius vſum, et a Noſtro commemorantur, ſymptomatibus luculenter patet. Quapropter opium Noſter nec analepticum, nec robo-

*) Quae Lipſiae prodierunt Vol. I. Parte III. p. 504. it. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 506.

roborans, nec excitans medicamentum iudicat, ſed cardiacum h. e. quod in cor agit.

His hactenus diſputatis, reſpondet Noſter ad Cl. LUDWIG dubitationes, de cardiaca opii virtute enatas, atque contra WHYTT, VAN SWIETEN et VINTERL vim circuitum ſanguinis excitandi et celeriorem reddendi i. e. exaeſtuantem vim opii cum Cl. YOUNG defendit. Cl. YOUNG enim in ſemetipſo vim opii exaeſtuantem expertus eſt. Quapropter opio vis acris et calefaciens et ſapor amarus adſcribitur. Atque ita non multum diſſentire Cl. TRALLES a Cl. LUDWIG vidimus. p. 11.

Id quod etiam apparet ex canone practico, quem ſtabiliuit Cl TRALLES, illoque, quem dedit Cl. LUDWIG, et quem plane ſimilem iudicamus. Praeterea enim in opio exhibendo Cl. LUDWIG reſpiciendum eſſe putat ad primas vias, quae liberae eſſe debent pariter, ac via ſanguinis, *). Atque eo redit quoque Ill. TRALLESII ſententia, quam complectitur ita: „dum opium prima ſua et immediata actione in cor et arterias ſanguinemque inibi contentum, eſt cardiacum, atque circulum accelerat, calorem auget, ſanguinemque rarefacit; abſtinendum erit ſollicite ab opiatis omnibus, vbi a circulo aucto et accelerato atque humorum incaleſcentia et raritate, mala qualiacunque corpus adflixerint ac vitae metuendum eſt.„ Igitur omnibus febribus omnino acutis et inflammatoriis, opium non conducit. p. 28.

Omni dolori, cum plethora, orgaſmo et febre coniuncto, opium obeſt. Semper enim tum dolores exacerbantur opio, vt in cephalalgiis plethoricis quas, p. 36.

*) v. aduerſ. med. pract. Vol. I. p. 514. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 507.

quas, adhibito opio, ſopor, imo apoplectici non raro ſequuntur inſultus. Pari modo non conuenit pleuritidi opium.

p. 42. Actis antea omnibus agendis, febreque lenita, et dolore tamen continuante et a ſola fibrarum inteſtinalium ſtrictura atque conuulſione earumque ſenſibilitate et irritabilitate pendente, opium ad ſopiendos inteſtinorum dolores vehementiores adhiberi poteſt. Primis enim viis non depurgatis, nocet opium, dum excretionem aluinam ſua dote ſiſtit.

p. 44. Inflammatio et alui obſtructio videntur quidem opii vſum vetare in voluulo et iliacis; inflammationi tamen et alui obſtructioni ſi remediis occurratur, opioque vel praemittantur vel cum eo coniungantur, poſſe opium et in his iuſtum locum habere Ill. TRALLES arbitratur. Qua occaſione de laxantium cum opio coniunctione diſputat, inſimulque opii vſum ad incarceratam herniam, quae ſaepe eſt cauſſa ilei morbi, facilius reponendam vtilem iudicat et ſtricturas ſpaſticas ventriculique et inteſtinorum conuulſiuos motus conſopiendos, praemiſſa, vti et praecipit b. SWIETEN, venaeſectione.

p. 51. Vix vnquam alibi magis probare opium Noſtro videtur dotes anodynas, quam in doloribus ſub partu ſpuriis, ore vterino ſpaſtice conſtricto. Pariter in doloribus poſt partum, tollendis, qui plerumque a grumis ſanguinis aut portionibus placentae retentis pendent.

p. 53. Progreditur Noſter ad dolores rheumaticos, arthriticos et podagricos. Nil vero ad hos omnes valet opium, nec in iis a Noſtro propinatum eſt aegris. Commemorat autem exemplum, a HAHNIO notatum, vbi opium podagrico non ſolum nihil nocuit, ſed et eum iuuit. Erat autem ille cacochymicus et cachecticus magis, quam plethoricus laxaque potius, quam ſtrictiore fibra laborabat.

De

De excretionibus, opio moderandis, haec habet Noſter. Si dolor quis cum haemorrhagia adeſt, ob ſtimulum, vaſa laceſſentem et irritantem, aut ſpaſmos remotiorum partium, ſanguinem ad partem affectam propellentes, opio locus eſſe poteſt, non aliter. In haemoptyſi poteſt illud prodeſſe ad tuſſim vehementiorem leniendam, ſi caetera remedia non iuuant. In vomitu et mictu cruento ex renum vitio nulla eſt opii indicatio. Quod ſi vero veſica potiſſimum afficiatur doloribus, cauſſa indagata et oppugnata, minuuntur hi dolores opio. In haemorrhoidum nimio fluxu prodeſt opium tum, cum colici dolores concurrunt, eumque nimis augent. Haemorrhagiis vteri iis conducit opium, quae pendent ab irritamento in vtero, cum omnium expulſionem promoueat, vti ſupra iam monitum eſt a Noſtro apud puerperas. p. 57.

In diarrhoeis et dyſenteriis opii vſum breuiter demum expendit, illudque ad ſopiendos quidem dolores, purgantibus praemiſſis, locum habere poſſe putat, ſuadet tamen, opio adhibito, denuo purgare has vias, illudque circumſpecte in his morbis adhiberi, vti et Cl. ZIMMERMANN *) pariter commendat. p. 65.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 609.

XI.

CAROLI STRACK M. D. et in vniuerſitate Moguntina inſtitut. med. Prof. Publ. Ordin. Eminent. Cels ac Princ. Elect. Mog. conſil. iud. aulica Elector. vtil. ſcient. Academ. Erford. et Princ. Haſſiens. Societ. Academ. Gieſens. ſocii obſeruationes medicinales de colica pictonum maximeque ob arthritidem. Francof. et Lipſ. 1772. 8. pagg. 80. cum dedicatione et praefatione.

Obſeruationes has de colica pictonum inſeruit olim Cl. STRACK diario medico Pariſienſi *), iam eas accuratius collectas, et multis curationum exemplis auctas, proponit hic latino ſermone. Dubiam potiſſimum iſtius morbi in cauſſam, de qua multum diſputarunt auctores, inquirit, de eaque aliquid certius an ſtatui queat, tentat Cl. Auctor.

p. 12. Quot cauſſae colicae pictonum numerentur, in primo capite tractatur a Noſtro. Alii in plumbo atque ceruſſa, alii in lithargyrio, ſtanno, cupro, antimonio crudo: rurſus alii in diuerſis pigmentis, nec non in pomis, pyris, vuis, non ſatis maturis quaeſiuerunt. Quapropter et variis nominibus hunc morbum inſigniuerunt, nimirum pictonum, deauratorum, figulorum. Item alii morbum pictonum vegetabilem nominarunt. Germanis hic morbus *Huettenkatze* audit, quoniam metallurgis adeo eſt familiaris. TRONCHIN octo diuerſas morbi pictonum numerat ſpecies. IOANNES GRASHUIS arbitratur omnia quaecunque in hoc morbo pro cauſſa haberi poſſe, quae interiorem inteſtinorum tunicam muco ſuo

*) Iournal de médécine de Paris l' an. 1765. mois d' avril p. 325. et l' an. 1766. mois de fevrier p. 125.

ſuo orbent; CITESIUS a gente hoc nomen pictonum deriuat. Alii iſtius morbi rationem plane incognitam pronuntiant.

Cl. STRACK autem multorum aegrorum, hac colica pictonum laborantium, cum haberet curam, qui non ſolum has a nobis ſupra commemoratas cauſſas non admiſiſſent, ſed etiam vino puro et optimo vterentur, quorum porro ſuppellex culinaria diligentius ordinata, nec non a vaſis ſuſpectis vacua eſſet, ad aliam cauſſam, praeter iamiam dictas, reſpiciendum putauit. Atque cognouit Cl. STRACK nullam aliam cauſſam huic colicae pictonum inſeruire, quam materiam arthriticam vagam, in infimum ventrem delatam: ad quam ſolam etiam non fruſtra direxit totam curationem, cuius tanta apud Auctores eſt diuerſitas, quanta cauſſarum variarum multitudo. P. 13.

Felicem vero ſuae curationis ſucceſſum, cum arthriticae materiae, vt cauſſae huius morbi, obviam eat remediis, nunc probat exemplis in capite ſecundo. Quorum octodecim in hoc capite a Noſtro ſunt collecta, ex quibus patet, curationis inſimul ratione habita, materiam arthriticam, in infimum ventrem conuerſam, hanc colicam effeciſſe. Decoctum enim lignorum, antimonium crudum, balneaque calida et tepida indicationi cauſſali curatoriaeque ſemper in his exemplis ſatisfecerunt. Balnea ſaepe et diu autem erant vſurpanda, inprimis Noſter ſuaſit Wiſbadenſes aquas thermales. Item ad praecauendum morbi reditum balnea commendat. Expertus enim Noſter eſt facilem huius colicae pictonum reditum, eumque tanto certiorem, quanto breuius balnea fuerint in auxilium ab his aegris vocata. Quapropter ducentis et vltra eiuſmodi aeger vſus eſt balneis. P. 14.

p. 40. Inter hos rurſus aegros, a Noſtro obſeruatos, permulti ſunt, qui partim ab aliis medicis, partim a ſemetipſo aliis atque aliis tentati fuerint diu et fruſtra medicamentis; electa autem Noſtri methodo medendi, non multum ante commemorata, res aegrorum in melius vergere coeperunt. Id quod probat et illuſtrat ſequens exemplum.

p. 41. Vir labe abdominali laborare Noſtro videbatur indeque penitus emaciatus afferebat abdomen contractum, in quo Noſter longam ſcirrhorum ſeriem tangebat, qui, iuxta anum orti, retro veſicam vrinariam progrederentur, ad inteſtini coli curuaturam ſigmoideam vſque, meſorectoque inhaererent. Ipſum autem colon conuulſum erat. Direxit itaque, rebus aegri ſic ſeſe habentibus, ad ſcirrhos curationem Cl. STRACK, per tres licet menſes, fruſtra tamen.

p. 42. Interea autem animaduertit abdomen a doloribus magis tendi; his e contrario ceſſantibus, tenſionem remitti. Obſeruauit enim inteſtinum colon, dolore vexatum, planum, durum, craſſum, eminens: quo ſedato, molle et ſano ſimillimum idem inteſtinum fuit. Concludebat idcirco, vitii cauſſam conſiſtere in quapiam re, quae iret rediretque, et, ob colorem cinereum faciei, antequam dolor inceperit, luteum autem, dolore ſedato, ob vrinam albam difficilemque eius miſſionem cum ſedimento: rurſus ob ſudorem, qui cutem vrebat atque pungebat, vti cineres ardentes, omninoque pruritum cum ſumma ſcalpendi neceſſitate, vt ſigna arthriticae materiae retrogreſſae, ab arthritide, in imum ventrem ſeſe conuerſa, hunc morbum deriuauit. Colicae enim arthriticae ſignum proprium inſuper quoque hic aderat, quod ita a Noſtro deſcribitur: *eſſe medio in tormento abdominales muſculos adeo ſenſibiles contractosque, vt aeger corpus excitare nequierit,*

curtis

curtis quasi nimium ipsis cornibus; sed debuisse eum idem incuruum et inclinato capite pronum tenere. Quod proprium arthriticae colicae signum esse puto.

Interrupit itaque Noster curationem scirrhi cum cicuta, atque methodum supra memoratam contra arthritidem cum felicissimo euentu et in hoc aegro adhibuit. p. 44.

Tum perquiruntur diuersae auctorum sententiae in capite tertio. Ex obseruationibus nimirum Cl. Auctoris eae caussae, quae supra a nobis iam commemoratae sunt, considerantur atque ex iis monstratur, has caussas posse interdum colicam efficere, nunquam autem colicae pictonum inseruire. Refutatis itaque auctoribus, qui colicam pictonum, saturninam appellant, asserit Noster cum Cl. MUSGRAVE colicam hanc pictonum arthriticam esse, atque antimonium crudum, quod Cl. TRONCHIN, inter caussas huius colicae refert, esse optimum contra colicam pictonum remedium. p. 57.

Porro docetur in capite quarto, per quas notas colica pictonum arthritica distinguatur. Hae autem notae in tam cognitu difficili arthritidis omnino cognitione vel *magnae* sunt et ab vnoquoque facile cognoscuntur: vel *paruae*, quae morbum pro alio quopiam affectu ostendunt, arthritidemque simulant. Vt sunt dolor vagus aliarum atque aliarum partium externarum atque internarum, vbi in abdomen arthritica materia saepe sese confert, facileque ab vnoquoque cognoscitur. p. 68.

At vbi dolor ab initio ventrem occupat fixus, difficilius est scitu, num colica a materia arthritica sit, an ab alia quadam caussa pendeat? Distinguitur autem maxime per has notas: si cum istius colicae caussa verosimilis nulla alia recte comparari potest, si p. 69.

 dolor

dolor vehemens adeſt, ſine febre et inflammatione, cum pulſu paruo et lento. Si cutis color flauus oliueusque, oculi caui, limbo plumbeo cincti, ſunt. Si dolores articulares aeger ſenſit, ſeu citam et magnam membrorum laſſitudinem atque defatigationem, poſt labores exiguos cum aſthmate. Si debilitas, ſomno finito, maior eſt, quam ante eum. Si ſudor cutim vrit, eaque papulis miliaribus rubris referta eſt. Si in faciei atque potiſſimum frontis cute titillatio erronea, vbi aeger, admota manu, nihil ſentit. Vrina tenuis cum ſtranguria vrens, ſeu ſubalbicans, veluti ſerum lactis cum ſedimento albo, laeue, pingue, mittitur. Haec Noſtro ſigna videntur, quae arthriticam cauſſam huius colicae prodant.

p. 71. Denique de diuerſo materiae arthriticae exitu differitur in capite quinto. Egreditur autem haec materia per ſudorem, per vrinam et per abſceſſum, rariſſime per alui fluxum. Interdum per ſudorem et vrinam alternatim, quibus interueniunt abſceſſus. Has ſingulas criſes itaque Noſter hic pertractat.

p. 73. Bonum ſignum iudicat Cl. STRACK, intenſos dolores iuxta quintum et decimum balneum. Morbi enim materia tum mouetur, atque febris accedit. Magna porro inter ſudorem et vrinam eſt ſimilitudo, cum quoad humores, tum quoad criſin. Vt enim pulſus alter a magno ictu incipit et per minores exit, ita alter a paruo in magnos ictus tranſit. Aegre per aluum arthritica materia quaerit exitum. Quod ſi vero fit, alui fluxus non eſt ſtercoreus, ſed aqueus, ſingulare et inconſueto foetore coniunctus. Id quod Noſter ſemel expertus eſt.

p. 78. Singulare prorſus eſt arthritidi vagae miaſma, atque ab omni alio morbo diuerſum, nec non hunc

mor-

morbum eſſe epidemicum facileque reuerti poſſe putat. Non conuenit, etiamſi videatur, cum podagra. Podagricorum enim nodi ſi exulcerantur, albam calcaream, inodoramque materiam, arthriticorum e contrario, quibus et inde ſuadet veſicatoria, vlcera nigram, et vt putridum oui vitellum olentem materiam emittunt, quae emplaſtra et lintea carpta tingit, abſque tamen oſſium carie. Fonticulus, quem Noſter excitari iuſſit in aegra arthritica, ſimilem materiam nigram atque foetentem alliciebat.

XII.

Noui commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae. Tom. XIII. pro anno 1768. Petropoli, typis Academiae ſcientiarum 1769. 4. mai. 3 alph. 8. pl. tab. aen. 14.

Quamquam in vniuerſum pauciores commentarii ex actis Petropolitanis ad inſtitutum noſtrum pertinent, cum mathematica et aſtronomica prae phyſicis copioſiora ſint: tamen his ipſis nouiſſimis annis Cl. PALLAS, GMELIN cet. laboribus et itineribus id effectum eſt, vt plures nunc ad hiſtoriam naturalem ſpectantes obſeruationes hiſce commentariis inſerantur.

Ex *claſſe phyſico-mathematica* duo tantum commentarii nominandi nobis ſunt, ſcilicet Cl. L. EULERI diſſertatio *de aequilibrio et motu corporum, flexuris elaſticis iunctorum* et EIUSDEM commentarius *de ſtatu aequilibrii fluidorum*, cuius ſectio tantum prima hic traditur. p. 259. p. 305.

In *claſſe* autem *phyſica* ſequentes commentarii continentur; p. 419.

p. 419. 1) Cl. I. A. BRAUN *de calore animalium.* Pleraque animalia, si non omnia, calorem quendam habent addititium, quem quoque vitalem, insitum et innatum vocare solent. Hic tamen calor non in omnibus animalibus vnus idemque est, sed insigniter in variis animalibus differt. Id tamen praecipue in eo omni attentione dignum est, quod in animali sano, idem caloris gradus diuerso tempore et loco constans sit. In aegrotante vero corpore et in statu praeternaturali vel, vt in lipothymia fieri solet, fere euanescit, vel, vt in febre ardente, multum augetur. Haec aliaque, quae huc spectant, egregie experimentis hic additis Cel. BRAUNIUS comprobauit. Vsus vero est ad caloris gradum explorandum thermometro Delisliano in quibus o, siue ziphra, calorem bullientis aquae et numerus - 150 punctum congelationis aquae indicat. In exploratione ipsa variae cautiones adhibendae sunt, quae Cl. Auctor fusius hic describit. Huc pertinet, vt sufficiens adhibeatur tempus, cum alias minor caloris gradus obseruetur, vt oculus obseruatoris nec supra, nec infra punctum thermometri constitutus sit cet.

p. 422. Iam quod gradum caloris in homine sano attinet, experimenta, quibus eum determinare constituit Cel. Auctor, ita instituit, vt thermometrum in os sani hominis insereret, ibidemque tam diu detineret, donec hydrargyrum in thermometro non amplius adscenderet. Mercurius vero circa numerum 96 et 95 scalae Delislianae stetit, qui cum numero 98 et $97\frac{1}{5}$ scalae Fahrenheitianae conuenit, et ita gradum caloris sani hominis, a FAHRENHEITIO determinatum, paullulum superat. Cum vero alii (vt BOERHAAVIUS, DE HAEN cet. vid. HALLER *Elem. Phys.* T. II. p. 35) gradum minorem repe-

repererint, patet illos non ſufficiens in experimentis ſuis habuiſſe tempus. Vrinae calor cum caloris gradu indicato conuenit, vel eum vno aut $1\frac{1}{2}$ gradu ſuperat, qui gradus ſine dubio gradus caloris viſcerum adiacentium eſt. Experimentis vero ſuis conſtantem hunc calorem reperit Cl. Auctor adeo, vt nec aetas, nec ſexus, nec temperamentum, nec aliae circumſtantiae eundem, poſita ſanitate hominis augere vel imminuere poſſent, ſed fere ſemper (ſi vnum aut ad ſummum $1\frac{1}{2}$ gradum excipias) idem eſſet gradus. Gradus autem caloris corporis humani minimus eſt inter corpora animalia quadrupedia. Vituli enim calor 104 graduum thermometri Fahrenheitiani eſt, cum quo porcelli calor conuenit: capella calorem $101\frac{1}{2}$ ſcalae Fahrenheitianae habet, nec multum agni et ouis calor variat. Maximus caloris gradus, quem in animalibus quadrupedibus Auctor Cel. inuenit 104 graduum eſt. Aues vero calorem quadrupedum multum ſuperant. In anſere enim eſt $107\frac{3}{5}$ ſcalae Fahrenheitianae: in auibus autem minoribus maior eſt, cum v. c. in rubecula ad $111\frac{1}{5}$ gradum adſcendat, et igitur calorem humanum quindecim fere gradibus ſuperet.

Quod vero animalia ſic dicta frigida attinet, notandum eſt ea, per experimenta Auctoris Cel., omni addititio calore carere, ſed tantum calorem aquae aut aeris ambientis habere. Saepius hoc in piſcibus, branchias agitantibus et pulmone carentibus, Auctor Cel. expertus eſt, qui omnes, in diuerſas aquas diuerſae temperiei immiſſi, eundem caloris gradum aſſumſerunt, quem aqua illos ambiens habebat. Animalia vero marina, quae pulmones habent, addititio calore inſtructa ſunt. Ranae autem cum piſcibus conueniunt, idemque de animalibus hyeme p. 427.

ſopitis valere, Auctor Cel. ſuſpicatur, licet nulla circa illa experimenta inſtituerit. Inſecta congregata quidem aliquem calorem efficere poſſunt, qui tamen ad calorem internum proprie referendus non eſt *). Gradum morboſi caloris calorem naturalem in febribus multum ſuperare et ad 105, 106, 107 et 108 gradum ſcalae Fahrenheitianae adſcendere notum eſt. Monet tamen Cel. BRAUNIUS, pauca huius generis experimenta genuina eſſe, ſed in plerisque non ad legem thermometri, ſed ad ſenſum calorem determinatum fuiſſe.

p. 430. His praemiſſis ad quaeſtionem: num certi et determinati gradus caloris ſint, quos tolerare homines et animalia ferre poſſint aut nequeant? ita reſpondet, vt doceat, eos in diuerſis ſubiectis diuerſos eſſe, cum homines maiorem vel minorem gradum caloris atmoſphaerae, pro conſuetudine, ferre et ſuſtinere poſſint. Hic, vti per experimenta recentiorum patet **) calore ſanguinis vitali multo maior eſt. Ita RICHMANNUS in tepidariis gradum 125 Fahrenheitianae ſcalae ferre potuit, idemque de ſe ipſo Cl. Auctor aſſerit. Frigoris vero gradus, quem homines et animalia ſuſtinere poſſunt, longe difficilius determinatur, vt itaque hic magnus campus nondum cultus ſuperſit, vlterioribus eruditorum experimentis excolendus. Quod vero ad originem huius caloris innati ſpectat, illum Cl. Auctor cum pluribus recentioribus ex motu ſanguinis progreſſiuo et attritu huius fluidi heterogenei inde orto, deriuat.

2) Cl.

*) Conferantur haec experimenta cum iis, quae in T. II. Elem. phyſ. HALLERI p. 28. ſeq. ex variis ſcriptoribus collecta ſunt.

**) vid. Cl. TILLET in Mem. de Paris 1764 p. 166. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 256. HALLER. Elem. T. II. p. 34.

2) Cl. P. S. PALLAS *obseruationes de ossibus Sibiriae fossilibus, craniis praesertim rhinocerotum atque buffalorum.* p. 436. Quamquam posterioribus maxime seculis pluribus in regionibus borealibus elephantum effossa sint sceleta, in nulla tamen tanta eiusdem eboris copia reperitur, ac in Siberia, ita vt inter merces indigenas eiusdem regionis vulgo referatur. Neminem vero fugit, mire inter se variare eruditorum de origine eboris huius fossilis sententias *); quorum tamen liti Cl. Auctor se non immiscet, sed ex speciminibus, in Museo Petropolitano servatis, probat, non elephantos tantum, sed et alia quoque calidiorum regionum fera animalia in Siberia olim habitasse. Describit vero primum varia integra rhinocerotum crania, et cornua, et hac occasione, cum sceleton rhinocerotis a nullo auctore descriptum sit, de cranii fabrica in hoc animali varia monet, quae singularis plane est et in multis a structura craniorum in aliis animalibus differt. Distinctionem rhinocerotum in vnicornes et bicornes vanam esse, cum specie non differant, monet. Dentes primores nullos hoc animal habere, licet vulgo eiusmodi dentes a molaribus remotos, et in vtraque maxilla solitarios, ei LINNAEUS aliique tribuant; convenire potius rhinocerotem dentium conformatione cum bradypode aut dasypode. Iis vero, quae Cel. Auctor de fabrica cornuum rhinocerotum filamentosa in vniuersum monet, omissis, ad alterius cuiusdam animalis reliquias, in Siberia repertas, accedimus, p. 460. quae idem hic egregie describit. Sunt illae crania buffalorum gigantea, quae magnitudine omnium buffalorum et vrorum, hodie cognitorum, crania longissime superant, cum longitudo eorum 25 pollices aequet. Tandem etiam cornu *gazellae recticornis* (*capra gazella* LINN. *le pasan* BUFFO-

NII

*) vid. Cl. RASPE differt. sup. p. 647.

XII) in Siberia detectum hic accurate deſcribitur, et de locis in quibus ebur foſſile reperiatur, nec non de fabrica dentium elephantinorum in vniuerſum varia egregia monentur, tandemque ex ſceletorum diuerſitate aliisque argumentis probatur, clima Siberiae olim longe mitius fuiſſe et animalia omnia, quorum exuuiae hic deſcribantur, quae in calidiore India nunc tantum reperiuntur, in Siberia olim habitaſſe et ſe multiplicaſſe.

p. 478. 3) Cl. C. F. WOLFF *obſeruationes de formatione inteſtinorum, in ouis incubatis inſtitutae. Pars tertia, in qua phaenomena amnii ſpurii interna deſcribuntur, et ſimul de formatione meſenterii, thoracis, abdominis alarum, pedumque agitur.* De prima et ſecunda harum obſeruationum parte, quae in duodecimo commentariorum Academiae volumine continentur, vt et de theoria, quam Cl. WOLFF ſuis experimentis confirmare tentat, iam alio loco *) ad Lectores retulimus. In tertia itaque experimentorum ſectione partium embryonis gallinacei, in prioribus diſſertationibus ſecundum externum habitum conſideratarum, phaenomena interna, anatomiae microſcopicae ope explicata Cel. Auctor, enarrat. Deſcribit vero primum partes in titulo huius commentarii indicatas, quales eae die quarto incubationis apparent, et ex his abdomen, thoracem, peluim, inteſtina cet. non praeformata eſſe et deli-
p. 518. neata, ſed ſucceſſiue generari aſſerit. Cum enim ex eius obſeruatione variae corporis partes, veluti thorax certo tempore nondum exiſtant, neque eo tempore exiſtere poſſint, cum v. c. eodem loco, quo thorax oriri debet, amnium verum oriatur, quo in fetu totus truncus anterius perficitur, partes has ſuc-

*) vid. Nou. comm. Acad. Scient. Petropol. Vol. XII. p. 403. Comm. noſtr. Vol. XVII. p. 703. ſeq.

ſucceſſiue productas eſſe ſequitur. Subtiliorem deſcriptionem, quae a Lectoribus ſine iconibus vix intelligi poteſt, omittimus.

4) *Deſcriptio leporis puſilli.* Auctore Cl. P. S. PALLAS. Deſcribit Cl. Auctor hic animalculum, quod in campis Tranſuolgenſibus in itinere, per Ruſſici imperii prouincias Aſiaticas facto, reperit. Forma et magnitudine illud externa ad murinum genus accedit, pedum vero planta hirſuta, digitorum numerus, quinarius in palmis, et quaternarius in plantis, velleris color cet. et dentes ſuperiores duplicati oſtendunt, illud leporino inſerendum eſſe. Apertos campos (*Steppen*) colit, ibique in cuniculis ſub terra latet, ex quibus nocturno tempore potiſſimum exit. A Tartaris *Sulgan* vocatur, aeſtate variis herbis ſucculentis paſcitur, hyeme vero excrementis maiorum animalium phytivororum, equorum et ouium victitat. In craſſo inteſtino aſcarides Cel. Auctor reperit, quae cum iis forma conueniunt, quae in homine cet. occurrunt. p. 531.

XIII.

IOANNIS FRIDERICI MECKEL noua experimenta et obſeruationes de finibus venarum ac vaſorum lymphaticorum in ductus viſceraque excretoria corporis humani eiusdemque ſtructurae vtilitate. Berolini apud Frideric. Nicolai. 1772. 8. pl. 7.

Qui iam alio tempore vaſorum lymphaticorum naturam egregie dilucidauerat Cl. Auctor *) indefeſſus corporis humani ſcrutator, pergit nunc in eorum progreſſu enucleando, et nouo vtiliſſimoque,

*) v. comm. noſtr. Vol. VII. p. 336.

que, obſcurorum vaſorum iter perſequutus, invento ſcientiam anatomicam adauget. Quinque autem ſectionibus lymphae ad ſanguinem reditum per vaſa reſorbentia et lymphatica, cum venis communicantia, nec ex tela cellulofa orientia, demonſtrat: et de his, quae ad vniuerſum reſorptionis genus ſpectant, primo loco: deinde de ea in mammis, veſiculis ſeminalibus, hepate et veſica vrinaria facta, agit.

Viam ex vaſis lymphaticis ad venam cauam iam aliunde cognouerat Noſter, nunc eam ex glandulis conglobatis ad truncos venarum per eadem vaſcula lymphatica illo detexit experimento, quo glandulam lumbarem per ductum lymphaticum mercurio replebat, ex qua vena, ad truncum venae cauae exporrecta, tandem preſſione mercurii adaperta fuit. Erat autem haec glandula ſemiſcirrhoſa. Quo ipſo ſimul intellexit, vaſa haec lymphatica inter ſe et cum minimis venis glandulae immediate committi, quae ſane connexio, nondum cognita, in multiplicem a naturae auctore noſtri corporis vſum facta
p. 13. ſit. Glandulae namque lymphaticae, ex innumeris tortuoſis lymphaticis ductibus conſtructae, hanc venarum anaſtomoſin habent, vt lympha depuretur, atque ab heterogeneis et aquoſis, ſiquidem ea gelatinoſa eſſe debet, moleculis liberetur; in morbis vero variis, praecipue in ſenio, praeter impedimenta, lymphae oppoſita, crepatura vaſorum lymphaticorum et ineuitabilis incurabiliſque hydrops praecaueatur: qua ratione vero idem in glandularum obſtructione, in truncorum lymphaticorum compreſſione et obſtructione eorum eueniat, docet atque medicamentorum efficacium actionem inde erudite deducit.

p. 24. Mammarum ſtructura, ab aliis ſtudioſiſſime deſcripta; Noſtro tamen per inſtituta tentamina noua

aliqua

aliqua detegenda reliquit. Fecit autem experimenta, in defunctis puerpera et grauida, mamma quidem tum in situ relicta, tum ex nexu soluta, viditque per papillae tubulos immissum hydrargygyrum partim ad venas celerrime transiisse, in venam axillarem vsque, partim in vasa lymphatica receptum ad glandulas axillares peruenisse. Immo inopinato euentu lactiferos tubulos in papilla inter se communicare conspexit, nec propinquos tantum, quin etiam remotissimos, ita, vt, dum quinque tantum tubulos repleuisset, quindecim tandem plenos turgidosque obseruaret. Nuckianum tamen circulum, nunquam adsumendum, se inuenisse negat, horum etiam lactiferorum tubulorum anastomosin in minoribus eorum ramis fieri asserit, et hinc euenire, vt lac crudum per venas refluat, acris etiam lympha, vt in cancro, facilius per totam glandulam diffundatur. Porro ex his intelligitur, immediatum esse nexum cum vasis lymphaticis tubulorum lactiferorum, nec haec solum ex tela cellulosa enasci: itemque de venis valere, quae et cum arteriis et cum his tubis galactophoris, et cum tela cellulosa communicare conspiciuntur; de arteriarum autem anastomosi dubiam esse sententiam iudicat. Cognitio autem haec varias demonstrat structurae vtilitates, inter quas est, lac ex arteriis secerni, nondum perfectum, sed heterogeneum, cui lymphatica vasa nimiam tenuitatem resorptione sua demant, nimis crassas vero et terrestres, salinasque moleculas venae absumant, et dulce liquidum blandumque lactis reddant. Quae animaduersiones ad lactis et nutricis qualitates diiudicandas, quatenus pertineant, docetur, et hinc, iuniores nutrices aetate prouectioribus anteponendas esse, recte iudicatur. Deinde in cognoscendis et medendis morbis inde egregia desumuntur argumenta, ne lactis regressui forte adscri-

p. 51.

adſcribantur morbi, quorum ratio in peruerſa ſanguinis mixtione haeret, vt potius reditus liberior lactis per adaptata remedia promoueatur. Siquidem febres etiam variae in puerperis ab aliis longe, ac lacte, cauſſis enaſcantur, vt defectus lactis morbi effectus potius, quam cauſſa exiſtat, illudque febre ſuperata feliciter redeat, reſorpta vero materia putrida, ex vtero nouos morbos generet. Structura etiam mammae declarat, quare obſtructiones per hydrargyrum cum camphora reſoluantur optime,
p. 68. etiam illae, quae pene ſcirrhum fecerant. A cicuta parum ſpei et emolumenti Noſtro euenit. Si autem reſolutio non fit, nullum, niſi in tempeſtiua et ante cancri acceſſum facta extirpatione, auxilium eſt.

p. 71. Semen ex veſiculis ſeminalibus iterum ſanguini reaffundi, communis opinio eſt; viae, quae reſorbent, non aeque patent. Huic tamen officio tantum venas praeeſſe, iniectio Cl. Auctori manifeſtavit, qua, immiſſa per ductum deferentem, cera non veſiculae ſolum replebantur, ſed venae hypogaſtricae etiam et plexus venarum, ad veſiculas reperiundarum ; nulla vero vaſa lymphatica, quae tenerioribus partibus reſorbendis inſeruiant. Haec enim, copioſe ad teſticulum inuenienda, ex illo longa via ad plexus vaſorum lymphaticorum lumbares deferuntur, quod, ſicuti vehementer optamus, propediem demonſtrare promittit Noſter. Simul autem inde patet, nec accumulationem, nec corruptionem huius liquidi in receptaculis metuendam eſſe.

p. 82. Bilis deinde in hepate per reſorptionem praeparatur. NUCKIUS iamiam, facta in ductum hepaticum iniectione, liquidum per vaſa lymphatica facile redire vidit, et Cl. Auctor experimentis idem reperit, cui etiam contigit, vt ex ductu hepatico aditus in venam cauam pateret facile, nunquam in venam portarum aut arteriam hepaticam, multo minus

minus vnquam tranſitus in celluloſam telam ſucceſſit. Quod pari ratione in mammis euenit, in quibus, ſi celluloſa tela repleta eſſet, omnis ad vaſa lymphatica progreſſus protinus ceſſaret, itidemque in vaſis ſeminalibus, vt venas et vaſa lymphatica immediata connexione vti euidentiſſime appareret, neque ex contextu celluloſo demum ad lymphatica vaſa tranſitus eſſe perſpiceretur. Quare nunc mutat ſuam, de vaſorum lymphaticorum origine, olim ſuſceptam ſententiam Noſter; immediatum potius nexum venas inter et vaſa lymphatica, ſecernendis liquidis perficiendis, inſeruire affirmans, in hepate potiſſimum ſuperfluam tenuemque aquam reſorbendo; reliquam vero bilem accurate miſcendo, ſiquidem in morbis etiam per easdem vias bilis ad ſanguinem redeat.

Notatu denique dignum eſt, ex veſica vrinaria, tum aerem immiſſum per vrethram, tum ipſam aquam per venas exitum inueniſſe: ſicque in ſtatu etiam naturali non improbabiliter aliquam tenuioris fluidi particulam reſorberi. Id quod exemplo declarat ex iuuene, qui, pauco reddito lotio, ſub axillis continuo humorem, odore ac colore lotii profudit, qualia exempla Noſtro varia occurrerunt, quibus confirmatur, ex vrina ſubtiliſſimum liquidum reſorberi. P. 99.

XIV.

Verzeichnis einer Sammlung von Bildnissen gröstentheils berühmter Aertzte, sowohl in Kupferstichen, schwartzer Kunst und Holzschnitten, als auch in einigen Handzeichnungen: diesem sind verschiedene Nachrichten und Anmerckungen vorgesetzt, die sowohl zur Geschichte der Arzeneygelahrtheit als vornehmlich zur Geschichte der Künste gehören von I. C. W. MOEHSEN, *des Königlichen Preussischen Obercollegii medici und Obercollegii* sanitatis, *wie auch der Römisch Kayserlichen Academie der Naturforscher Mitglied etc. Mit Vignetten. Berlin, gedruckt bey Friedrich Willhelm Birnstiel, Königlicher privilegirter Buchdrucker* 1771. 4. *mai. Alph.* 2. *Bog.* 14. *)

i. e.

Index collectionis imaginum maximam partem celebrium medicorum, tam aeri vario modo incisarum, quam ligno, nec non in quibusdam delineationibus. Cui praemittuntur variae relationes et annotationes, historiam medicinae pariter ac potissimum artium attinentes, Auctore I. C. W. MOEHSEN.

Cl. MOEHSEN, cuius indefessum historiae literariae studium nuper indicauimus **), iterum hoc opere ad historiam medicinae ac artium multum contulisse nemo negabit. Quapropter huius vtilissimi libri saltem summa indicanda non supersedere nos posse iudicauimus.

Prima

*) Prodiit idem liber quoque ibidem, eodem anno eademque forma, charta tamen et pretio minori apud bibliopolam Christian Freder. Hirnburg.

**) v. comm. nostr. Vol. XVI. p. 678.

Prima pars constat ex introductione, tractatione et explicatione paruarum tabularum aenearum huius operis, ab initio et fine nonnullarum sectionum insertarum. Altera pars sistit catalogum alphabeticum iconum, potissimum clarissimorum medicorum et eorum, qui artem medicam excoluerunt, atque additamenta ad primam partem: denique alphabeticus catalogus pictorum atque delineatorum, nec non chalcographorum, qui delineationes iconum aeri incisarum ipsi effecerunt.

In introductione primae partis necessitas, commoda atque varius vsus eiusmodi collectionis imaginum declarantur a Cl. MOEHSEN. Atque hac occasione de varietate tabularum aenearum, earumque raritate, vt Cl. LIEBERKUHNII effigies: porro minus noti medici, quem CORREGGIO pinxit, cet. et integritate, additis fontibus, e. g. de capite GALENI, HIPPOCRATIS, DIOSCORIDIS e. s. p. docte disseritur. Denique de vtilitate huius operis in doctorum virorum historia proponitur, et quis dubitabit de vtilitate, cum Cl. MOEHSEN plures, quam quingentos habeat, qui in KAESTNERO desint, et trecentos, quorum Cl. IOECHERUS non mentionem fecerit? Hi quoque asterisco a Nostro sunt distincti. Pars I.

Iam progreditur Noster ad coniunctionem medicinae cum artibus, atque ad vtilitatem, quam medicina artibus attulit, demonstrandam. Veteres amasse omnino magnopere artes, inprimis picturas, probatur a Nostro ex templis, quae multis picturis ornata erant. Templum enim AESCULAPII non solum a medicis, sed etiam ab artificibus, vt APELLE | aliisque, multis picturis est donatum. Dum disquiritur, quatenus anatomia artificibus p. 53.

ſcitu ſit neceſſaria, de anatomica cognitione veterum medicorum et artificum agitur. Tempore GALENI, vti ipſe dicit in ſuis anatomicis adminiſtrationibus, anatomia non multum colebatur a veteribus medicis, cum familiae AESCVLAPII hanc ſcientiam in ſuis templis occultarent, et clanculum tractarent, ad quam et HIPPOCRATES eſt referendus. Quaeſitum igitur eſt, cur nullus HIPPOCRATES, nullus PHIDIAS et nullus APELLES inter recentiores inuenirentur; cum tamen recentiores plura commoda ad artes tractandas et ſcientias colendas haberent, quam veteres? Ac Noſter putat, et nos in temporibus GALENI adhuc viuere ex hac parte.

p. 65. Tum diſquiritur: num veteribus artificibus anatomica cognitio aeque neceſſaria ſcitu fuerit, quam recentioribus. Ac, ſi quis largiretur, graecos non adeo anatomiae eſſe gnaros, iis etiam haec ſcientia non adeo multum inſeruire potuit, quam recentioribus. Spectabant enim quotidie naturam, corpora bene et ſecundum naturam formata, et in eorum incremento nulla arte impedita atque coacta, carnoſa, et formoſa. Capita Graecorum non variis linteaminibus atque faſciis, quas GALENUS apud Romanos vituperat, comprimebantur, ſed libera et expedita naturalem magnitudinem et pulchritudinem nanciſci poterant. Quapropter veterum capita a parte ſuperiori pulchram et naturalem oualem prae ſe ferunt formam. Ac ſic et reliqua veſtimenta Graecorum et Romanorum incrementum naturale, flexilitatem, rotunditatem, plenitudinem, eminentiasque corporum nullo modo impediebant. Nam bene recteque nutriebantur. Accedebant dein balnea et corporum exercitia varia apud veteres, in arte gymnaſtica, quae non minus

minus corpus firmabant et ſtabiliebant, ac nuda corpora, quae veteres ſaepe in his exercitiis monſtrare oportebat ſitum, vim, valorem et vſum muſculorum verum et naturalem, artificibus ante oculos ponebant. Inde et medicis athletarum diaeta et habitus ita erant regenda, vt fierent quidem corpora carnoſa, minime tamen obeſa Porro veteres ſaepenumero poterant in animi commotiones varias inquirere, et iram, iracundiam, dolorem, timorem ceteraſque ex vultu cognoſcere.

Quapropter neceſſitas anatomicae cognitionis recentioribus a Noſtro nunc monſtratur, inſimulque, quomodo DE LA TORRE primus ſit, qui LEONHARDO DE VINCI, cuius picturae admodum rarae ſunt, vtilitatem anatomicae cognitionis in ſua arte declaret, oſtenditur. Anatomia enim pulchritudini et accuratioribus delineationibus magnopere inſervit. MUNDINUS Profeſſor Bononienſis, qui 1305 vixit, primus fuit, qui anatomiam coleret et in ſcriptis poſteritati relinqueret. Latino quidem idiomate ſcripſit MUNDINUS; multae tamen arabicae denominationes, vt *mirach* abdomen, *ſiphac* peritoneum e. ſ. p. in eo inueniuntur. Quapropter et arbitratur Noſter, non iure MAGNUM HUNDT 1501 profeſſorem Lipſienſem primum anatomicum a nonnullis habitum eſſe. Poſſunt porro et recentiores, anatomica cognitione imbuti, veterum delineationes atque picturas diligentius atque accuratius diiudicare, indeque artem ſuam augere et ditare atque perfectiorem reddere. DE VINCI anatomicam cognitionem dein imitati ſunt MICHAEL ANGELO BUONAROTTI et RAPHAEL, qui multum ſibi in ſua arte per anatomiam conſuluerunt. p. 71.

His praemiſſis, de meritis VESALII et TITIANI ob anatomiam artificum: item de operibus p. 80.

VESALII accurate hic refertur a Noſtro. Qui ſcire cupit, quale VESALIUS medicis, chirurgis et artificibus praeſtiterit auxilium, amandatur hic a nobis ad noſtrum Auctorem, qui ſimul de operis VESALII variis editionibus, et de diſcrimine figurarum in editionibus 1543 et 1555, cuius et BOERHAAVE *) mentionem fecit, qui ſuadet, vtramque editionem poſſidentibus, ſecundae textum, et tabulas primae conſulere, docte diſſerit Nos vero hoc vnicum ſolummodo, breuitatis ſtudioſi, per inſtituti rationem, addimus, Cl. MOEHSEN, qui vtramque editionem diligenter inter ſe contulerit, putare, ſecundam 1555 editam eſſe optimam, quae emendatiorem textum non ſolum, ſed plures etiam minores tabulas in ſe contineat: ideoque eam, qui habeat, prima indubitato carere poſſe.

p. 91. Iam monſtrat Noſter neceſſitatem indicis optimorum operum anatomicorum, ab idoneis artificibus curatorum, atque incipit de tabulis anatomicis EUSTACHII, qui primus poſt VESALIUM fuit. Editae enim ſunt hae tabulae 1552 anno, et, cum VESALII figurae ligno inciſae fuiſſent, videtur EUSTACHIUS primus fuiſſe, qui aeri incidi anatomicas figuras curaret. Nec non has delineaſſe videtur ipſe EUSTACHIUS, quoniam in fronte huius libri legitur: cum figuris aeneis ab ipſo Auctore delineatis. Quis vero eas aeri inciderit, non conſtat.

p. 94. Sequitur nunc relatio de opere CASSERII et EDUARDI FIALETTI et tabulis myologicis IOANNIS BROWNE inde ortis. CASSERII tabulae idoneos et exercitatos artifices produnt. Delineauit enim eas FIALETTI atque aeri incidit FRAN-

CISCUS

*) v. Meth ſtudii med. Amſtelaedam. 1751. T. I. p. 271.

ciscus vallesius. Constituit autem casserius secum, theatrum anatomicum perfectum vulgare; quod autem, eo non multum post mortuo, impeditum est. Quapropter et destituti sumus descriptionibus illarum tabularum, et daniel bucretius illas edidit, deformes tamen redditas, adrianique spigelii operi anatomico nexas. ioannes browne autem in myographia sua noua, triginta et septem tabulis, a casserio triginta et duas assumsit, easque 1684 Londini in folio minori vulgauit. casserii autem et browne tabulae maxime inter se differunt.

Figurarum aenearum anatomicarum petri de cortona hactenus incognitum Auctorem fuisse ioannem mariam castellanum, probatur. Tabulae anatomicae a celeberrimo pictore petro berrettino Cartonensi, delineatae et egregie aeri incisae nunc primum prodibant, et a caietano petrioli Romano, Doctore, Regis Sardiniae, Chirurgo publico, Anatomico et inter Arcades erasistrato coo, notis illustratae Romae 1741. Ex typographia antonii de rubeis etc. fol. mai. Hoc opus ita inscriptum partim artifici berrettini adscribitur, partim ioanni veslingio, cet. Noster autem monstrat ex bibliothoca Romana pr. mandosii, castellanum, dum eius memoriam ibi tradit, huius operis auctorem fuisse, qui gregorii XV. archiater erat, ipse de phlebotomia et arteriotomia scripsit, et librum cum figuris, forsan a luca ciamberlano aeri incisis, publici iuris fecit. De castellano autem opere magno anatomico, quod praeterea ei debetur, et cuius et severinus p. 99.

 de

de recondita abſceſſuum natura *) mentionem fecit dubitat Noſter.

p. 103. CARL CESIO anatomiam pictorum italice edidit IOANNES DANIEL PREISLER cum ſedecim tabulis, minus accuratis, ideoque ad erudiendum non aptis. Duae ſiſtunt oſſa humana, quatuordecim carnes.

p. 104. Iam progreditur Noſter ad GODOFR. BIDLOO opus, cuius figuras GERARD LAIRESSE delineavit primus poſt CASSERIUM. AMANTI BOURDONII tabulas anatomicas octo praegrandes Noſter non vidit, quae inter CASSERIUM et BIDLOO editae ſunt. Porro de BIDLOO et LAIRESSE figuris aeneis per GUILIELMUM COWPERS, eiusque appendice nonnulla Noſter addit Artium autem cultoribus ex hoc opere non adeo magnam Noſter ſpondit vtilitatem.

p. 111. Traditur hic a Noſtro accurata relatio de opere CAROL. ERRARD et BERNARDIN GENGA, cum hoc opus**) raro occurrat et nimis ſumtuoſum ſit. Erudit multum artifices in anatomia; attamen VESALII figuras tamen iis, qui hoc opus poſſident, quoque neceſſarias arbitratur Noſter. Id quod exemplis illuſtrat.

p. 116. Magna et turpis defraudatio detegitur hic a Noſtro cum opere ARCHANGELI PICCOLOMINI, quod ita eſt inſcriptum: Anatome integra, reviſa, tabulis explanata et iconibus mirificam humani corporis fabricam ad ipſum naturae archetypum exprimentibus, cum praefatione et emendatione

*) Lugd. Batav. 1724. fol. p. 318.

**) Anatomia per vſo et intelligenza del diſegno etc. Opera vtiliſſima a Pittori et Scultori.

tione IOANNIS FANTONI Anatomici Taurinensis. Veronae, sumtibus *Gabrielis Iulii de Ferrariis*, 1754 fol. Editor refert, se hoc opus PICCOLOMINI, circa finem seculi decimi sexti denati, accepisse, et tabulas aeri incidi curasse, post mortem eius et FANTONI illud emendasse. Comparat autem Noster hoc opus cum catoptro microcosmico, quod prodiit Francofurti ad Moenum 1660 fol. mai. et edidit IOANNES REMMELINUS, atque inuenit, vtriusque esse vnas easdemque tabulas, eamdemque ipsarum explicationem. Quapropter hic detexit hanc fraudem editoris, nec non FANTONI, cui emendatio operis PICCOLOMINI falso adscribitur, defendit, et PICCOLOMINI atque REMMELLINI opera non aliter, nisi titulo, differre putat Noster. Quid quod Editor Veronensis litteras has in tabulis non omisit. I. R. i. e. IO. REMMELINUS Inuentor, L. K. i. e. LUCAS KILIAN Sculptor et STEPHAN MICHELSPHACHER excudit.

Nunc disquirit Cl. MOEHSEN, cur delineationes et figurae aeneae anatomicae, quae medicos erudire possint, tantis difficultatibus praemantur. Pertinet ad figuras aeneas, medicis vtiles, fida et accurata potius naturae imitatio, quam magna et exquisita ars. Aliter ars, quae imitationem assiduam neglexit, eminentias, profunditates, situm partium et verum vsum medicis occultat. Quapropter accidit, vt optimi quique artifices medicis in hac re saepe officiant. Id quod probat ex BIDLOO opere, in quo optimus LAIRESSE *) delineationes curauit. p. 118.

His accurate demonstratis, enumerat Noster anatomicos, qui figuras aeneas operum suorum ipsi partim delinearunt, partim delinearunt et aeri incidérunt p. 121.

*) v. supra p. 696.

derunt. Hi ſunt HEISTER, LIEUTAUD, CAMPER aliique.

p. 124. Sequitur iam magnum anatomicum opus ALBINI, C. IO. WANDELAARII delineationibus et figuris aeneis, et TARIN repetitis et contractis figuris. ALBINI celeberrimi opus inter anatomica, iam a Cl MOEHSEN commemorata, eminere, et artificibus pariter, ac medicis, plurimum inſeruire arbitratur Noſter, qui hunc inexplicabilem ALBINI laborem, ſtudium, et moleſtias laudat, ac inprimis, quod ſumtibus profecto magnis non pepercerit. Non ſolum enim Cl. WANDELAAR in domum ſuam recepit; ſed et ſummam pecuniae viginti et quatuor millia florenorum huic operi perficiendo dicauit, inſcio Cel. ALBINO *) num ſolueretur aliquando haec pecunia. Ob iconum harum itaque accurationem et vtilitatem Cl. TARIN, b. WINSLOVII diſcipulus, ALBINI myologicum opus minus ſumtuoſis impenſis recudendum curauit. Qua occaſione reliquos libros, a Cl. TARIN editos enarrat et laudat, inſimulque ſingularis craſſitiei cranii a Cl TARIN obſeruatae hiſtoriae, actis naturae curioſorum **) inſertae, mentionem facit; nec non pollicetur alia occaſione additamenta, ad hanc obſeruationem nimis craſſi cranii ſe communicaturum eſſe.

p. 130. De anatomico opere Ill. ALBERTI ab HALLER ſecundum ROLLIN et KALTENHOFER delineationes, cum HEUMANI aliorumque figuris aeneis nunc agitur a Noſtro. Quemadmodum Cl. ALBINUS oſſa et carnes egregie illuſtrauit: ſic arbitratur Noſter Ill. HALLERUM caeteras partes anatomiae ita curaſſe, vt accurata earum cognitione arti-

*) Eiusdem annotat. acad. lib. III. c. XVI. p. 73. it. ib. lib. I. praef. p. 8.

**) v. vol. VIII. p. 251. ſeq.

artifices et mediciplane non poſſent ſuperſedere. Reliqua lectu digna et ſcitu neceſſaria mittimus.

De GAUTIER anatomicis figuris, viuis coloribus pictis, haec habet Cl. MOEHSEN. Legitur hic relatio de meritis LE BLOND, ADMIRAL et GAUTIER. Primum in Gallia prodiit opus anatomicum pictum, cuius Auctor erat pictor, et inſcriptio haec eſt: Eſſai d' anatomie en tableaux inprimées etc. par M. DUVERNEY, peintes, gravées et inprimées en couleur etc. par le Sieur GAUTIER. fol. mai. 1745. Alterum EIUSDEM anatomie de la tête en tableaux inprimées etc. 1748. Tertium, anatomie générale des viſcères en ſituation etc. avec angiologie et neurologie de chaque partie du corps humain. 1751. Acceſſerunt dein ad primum duodecim tabulae ſ. Suite de l' eſſai d' anatomie. Nonnulla exemplaria et ita inſcripta ſunt: la myologie du tronc et des extrémités avec les tables de la deſcription de tous les muſcles du corps humain 1745. Ac idem opus Cl. MOEHSEN vidit cum viginti et octo tabulis pictis hoc titulo: myologie complette, en couleur et grandeur naturelle compoſée de l' eſſai et de la ſuite de l' eſſai d' anatomie en tableaux imprimées, ouvrage unique etc. 1746. Ad haec itaque librorum amicis eſt attendendum. Praeterea autem Noſter arbitratur, deſiderari hic a quolibet curam et ſtudium Ill. ALBINI et HALLERI, cum quoad anatomiam, tum quoad tabularum rationem. Reperiuntur facile hic magni errores in plurimis tabulis, et deſunt interdum toti muſculi, interdum ſitus, inſertio, magnitudo connexioque muſculorum naturam non produnt. Cum plura vlterius nequeamus hic tradere, ad iudicium Ill. BOERHAAVE *) et HALLERI p. 131.

*) v. nou. comm. acad. ſc. imper. Petropol. Tom. II. ad ann. 1749. Petropol. 1751. 4. mai. p. 194.

LERI *) de hoc opere Lectores amandandi ſunt. Opus enim ſuperbo titulo non reſpondere, affirmamus cum Cl. MOEHSEN et BOERHAAVE.

p. 137. Traduntur hic nonnullae relationes de primo vſu figurarum anatomicarum ligno et aeri inciſarum cum viuis coloribus: item de LE BLOND, anteceſſore GAUTIER, quem nonnulli primo loco in hac arte nominant. HUGO autem DE CARPI poſt annum 1520 eiusmodi tabulas iam quidem curauit; attamen potiſſimum hic inclaruerunt Cl. viri LE BLOND et L'ADMIRAL. Fit et hic mentio CASPARI ASELLII primi vaſorum lacteorum detectoris, qui, eo mortuo, tractatum ſuum de lactibus ſeu lacteis venis quarto vaſorum meſeraicorum genere non ipſe curauit Sed duo medici TADINVS et SEPTALIVS, demortui amici 1627. in 4. Miolani eum vulgarunt, cum quatuor ligno inciſis figuris, quae artificii huius culturam et tum produnt. Tum IACOBI CHRISTIANI LE BLOND Francofurtenſis ad Moenum primi, vti fertur, qui figuras ligno inciſas cum coloribus viuis fecerit, vita hic a Cl. MOEHSEN accurate narratur, et nonnullae figurae, a LEBLOND factae, quas Noſter poſſidet, commemorantur.

p. 143. Iam ſequuntur ADMIRALIS anatomicae icones, coloribus diſtinctae. Et quis eſt, qui non delectetur earum adſpectu ? Iam ante tempora GAUTIER, IOANNES ADMIRAL eiusmodi icones coloribus diſtinctas ſcite fecit, et multas quoque diſſertationes BERNHARD SIEGFRIED ALBINI, vt de arteriis et venis inteſtinorum humanorum **) de ſede ac cauſſa

*) BOERHAAVE method. diſc. med. Tom. I. p. 302. no. 2.

**) EIVSDEM annotat. acad. lib. III. p. 54. ſeq.

caussa coloris aethiopum et ceterorum hominum, eiusmodi iconibus illustrauit. Dein et FREDERICI RUYSCHII praeparata anatomica cum explicatione figurarum, sine vlteriori autem rei tractatione, in latina, Gallica, et Belgica lingua, pinxit. Nimirum icon membranae vasculosae, ad infima acetabuli ossium innominatorum positae, durae matris ex capite fetus humani octo circiter mensium, cranii, periostio tecti: durae porro matris in concaua superficie visae: rursus effigies penis humani cera iniecta praeparati.

BARTHOLOMAEVS SEUTER icones phytantozoigraphiae WEINMANNI viginti et quinque primas curauit, reliquas simul cum IOANNE ELIA RIDIGER et IOANNE IACOB. HAID. Antea vero Cl. KIRNHALS in Anglia IOANNIS MARTINI historiam plantarum rarissimarum iconibus eiusmodi illustrauit 1728. p. 140.

Iam ad COWPERI anatomiam reformatam CHESELDEN osteographiam Lond. 1737. EIVSDEMque anatomy of the human body, cuius sexta editio Londini 1741. in 8 mai. prodiit, Noster venit. Additae sunt huic editioni quadraginta tabulae aeneae, per cameram obscuram aeri incidit eas GERARD VAN DER GVCHT. Inter quas duas potissimum amant artifices, decimam nonam nimirum tabulam, vbi *Marsyas* arbori alligatus spectatur, et vigesimam, qua *Hercules* Antaeum manibus attollit. Ambae situm musculorum, integumentis communibus separatis, egregie docent. p. 148.

Restat

p. 149. Reſtat nunc I. M. PAPILLON *) tabularum ligno inciſarum opus egregium et vnicum, quod ex hac parte perfectum Noſter iudicat. Reperitur et in eo inter multas alias res relatio VESALII editionum, cuius prima editio 1534 iam prodiiſſe dicitur, VESALIVMque in quinquageſimo et octauo 1564 aetatis anno mortuum eſſe. Quam vero relationem interdum Noſter minus accuratam eſſe monſtrat, nec non alios errores in huius operis hiſtorica parte detexit, quos breuitatis ſtudioſis nobis hic tradere non licet. Practicam autem partem huius operis laudat Noſter.

p. 152. Fuerunt autem medici, et chirurgi, qui delinearent, ſculperent et pingerent: eorum itaque hic mentio iniicitur. Vt ANTONIO VENEZIANO ſiue FIORENTINO, GEORGIVS IACOBVS LANGE phyſicus Norimbergenſis, ROMYN DE HOGHE, RVYSDAAT et LA FAGE, chirurgi, porro LVCAS ſanctus, Evangeliſta, medicus et pictor, quem variae medicae ſocietates et academiae pictoriae patronum ſibi adſciuerunt, de quo multae res narrantur, etiam theologis vtiles, quas hic repetere non poſſumus. VRBAN HIAERNE archiater Suecicus diſſertationi ſuae inaugurali: de obſtructione lacteorum vaſorum et glandularum meſenterii, Andeuagi 1670. annexas tabulas, quatuor aeneas ipſe delineauit et incidit, ſuamque ipſam imaginem reliquit. Fuerunt et medici, qui in numiſmaticis et geographicis delineationibus eminerent, e. gr. IO. CVSPINIANVS, imperatoris MAXIMILIANI archiater: IOH. IACOB SCHEVCHZER Heluetus et eius filius IO. CASPAR. Multas vtiles res oportuit nos hic omittere.

De

*) EIUSDEM traité hiſtorique et pràtique de la gravure en bois Tom. I et II. et ſupplement, ou tom. III. a Paris 1766. 8.

De botanicis operibus, cum figuris aeneis, quas Auctores ipsi delinearunt atque sculpserunt, huc referendus est DIOSCORIDES, DILLENIVS, HILL, IOANNIS BAPTISTA MORRANDI, FABII COLVMNAE, CONRADVS IOHRENIVS, qui sumtibus suis floram ad viuum egregie depinxit, quorum, et adhuc aliorum opera hic a Nostro diiudicantur. Arbitratur autem Cl. MOEHSEN, horum botanicorum conamina artibus minus vtilia fuisse, quam anatomicorum. Natura enim semper superat artem in botanicis figuris. Insimulque, quotidiana experientia docente, affirmat, botanicum characterem non raro in his botanicis iconibus desiderari, eisque potius oculos delectari, quam naturae amicos erudiri atque instrui. p. 136.

Tum et chemiae vtilitas ad artium emolumentum declaratur Ac primum quidem ratione colorum: deinde ratione pastarum terrearum (*Glaspasten*), vbi primus nominandus est Cl. HOMBERGIVS, quem dein LIPPERTVS Dresdensis, gemmarum antiquarum caussa clarus, longe superauit. p. 165.

Denique et nonnulli medici motum animalium, vt BORELLVS, tractarunt: rursus de proportione et symmetria partium corporis humani egerunt, vt ELSHOLZ et REINHARD. Fatendum autem esse putat Noster, ALBRECHTVM DÜRER hanc rem iam exhausisse, et praecepta Cll. virorum TARIN et GAUTIER maiorem fructum attulisse. p. 170.

Catalogus iconum, praecipue medicorum, eorumque, qui hanc artem coluerunt, multos in se continet medicos. Est ille alphabeticus et numerum millenum superat, additis plerumque delineatonibus, pictoribus, aere caelatoribus s. sculptoribus To. II. p. 1.

loco-

locoque natali, academia, qua viuebant, forma, aetate, annis, quibus nati et denati sunt hi viri docti. Et admiramur vel hic maxime profecto assiduitatis studium Cl. MOEHSEN, et gratias magnas habent illi huius rei amici.

p. 151. Inter additamenta ad indicem medicorum celebrium reperimus imaginem celebris medici et chirurgi FRANC. QUESNAY raram illam, ideoque pretiosam ASTRVCII: porro ROBERT WHITE, FRANC. PATIN, THOMAS BROWNE, ligno incisam imaginem MELCHIORIS SEBICII seu potius SEBISCH. Porro imaginem ANTONII VALLISNERI et ANDREAE VESALII.

p. 157. Indicat porro Noster eas medicorum imagines, qui desunt in hac collectione.

p. 164. Explicat hic compendium scribendi, et refert Noster de operibus, in quibus variae hic commemoratae imagines reperiri possunt, insimulque addit annotationes, ad historiam artium et artificum spectantes.

Sed haec hactenus. Condonabunt Lectores, si paullo diutius in hoc libro indicando, cuius lectio maximopere commendanda est, immorati simus. Vtilitas enim eius magna, qua abundat hoc opus profecto, intelligitur non solum ab historiae literariae medicae cultoribus et artium amicis, sed a medicis quoque ac chirurgis, qui in accurata anatomica inprimis cognitione acquirenda occupati sunt.

XV.

IO. ERNEST. IMMAN. WALCHII consil. aul. Saxo. Vin. et Isenac. eloquent et poes. P. P. O. antiquitates medicae selectae. Ienae. sumtibus viduae Croekerianae 1772. 8. c. f. pgg. 180. sine dedicatione.

Nisi omnes, profecto plurimae res notatu dignae, quae de medicis oculariis Romanis eorumque collyriis atque sigillis, quibus pyxides vnguentarias insignire solebant, ideoque thecae vnguentariae opercula nuncupabantur, posteritati relictae sunt, hic inueniri possunt. Tribus sectionibus hoc a Cl. WALCHIO praestatur: I. Sigillum medici ocularii in agro Ienensi repertum: II. sigilla medicorum oculariorum apud veteres Romanos: III. inscriptiones medicorum oculariorum. p. 1.

Septendecim sigilla in altera sectione a Nostro collecta sunt. Exempli loco vnum tale sigillum afferamus, cum praeterea ampliorem horum sigillorum omnium atque inscriptionum quoque recensionem non ferat instituti nostri ratio. p. 49.

Est illud decimum tertium Q. IULII MURRANII, ita comparatum: p. 83.

Q I V L M V R R A N I M E L I
N V M A D C L A R I T A T E M

Q I V L M V R R A N I S T A G I V
M O P O B A L S A M A T A D C A P

Alia quatuor habent latera, et singulum latus aliter est inscriptum. Horum itaque sigillorum explicationes addit, easque aliorum eruditorum virorum, vel suis coniecturis Noster probat atque confirmat.

p. 103. Porro disquirit Noster, quid sit, medico imperare apud ALFENUM VARUM. Commemorat nimirum Noster locum ALFENI VARI, vbi medicis imperari videtur, illeque similibus locis SENECAE et CICERONIS illustratur. Cum medici autem aegris imperent, nec aegri medicis, GREGORIUS HALOANDER quoque pro imperantes *implorantes* legendum esse coniicit. DIONYSIO GODOFREDO autem, HALOANDRI emendationem haud plane improbanti, non opus videtur hac correctione. Putat enim imperantem hoc loco medicum designare, qui remedia morbo laborantibus praescribere iisdemque sanitatis aut conseruandae, aut reparandae leges indicere soleat. Et sic alii aliter atque aliter hunc locum explicarunt.

His emendationibus eruditos viros plane hic
p. 110. supersedere posse, hisque verbis prorsus immutatis eorumque sensu haud turbato, totam hanc agitatam litem ex ipso apud Romanos medicorum statu, eorumque conditione dirimendam esse Noster arbitratur. Erat nimirum florentissimis reipublicae Romanae temporibus, tum et imperatorum aeuo, duplex in vrbe medicorum genus: seruile alterum, vulgare plebeium et maximam saltem partem rude et illiteratum; alterum ingenuum, doctum, bonisque artibus et Graecae potissimum medicinae disciplinis egregie imbutum. Hi itaque medici, quibus imperatum fuisse apud Romanos legimus, erant serui, illudque ipsum imperium attinebat artis exercitium, minime vero medendi methodum spectabat *).

p. 117. Tum historiam Asclepiadarum Noster persequitur. Haud vna olim Asclepiadarum ratio et conditio fuit. Ac primum quidem nomen istud genti fuisse dicitur eorum solummodo proprium, qui vel ab ipso AES-

*) cf. comm. nostr. Decad. II. Suppl. II. p. 255.

AESCULAPIO genus ſuum deriuarint, vel per adoptionem in Aſclepiadarum olim tranſierint familiam. In antiquis ideo lapidibus Ἀσκλεπιάδαι τῷ γένει vocantur. Qualis erat DIOCLES CARYSTIUS aliique.

Exſtincta vero Aſclepiadarum familia, frequentius nomen ASCLEPIADAE vſurpari coepit, aliis cognominis loco, nulla gentis aut vitae habita ratione; aliis propter artem, quam profitebantur, id ſibi adſciſcentibus, vt illuſtri hoc nomine auctoritatem ſibi, fidem medicamentis, a ſe praeparatis, conciliarent. Quorum ſunt potiſſimum ſex: *Primus* ASCLEPIADES Pruſenſis medicus. APOLLONII ERASISTRATEI diſcipulus: *Secundus* ASCLEPIADES iunior, Φαρμακίων dictus ob remediorum compoſitionem, quae et GALENUS diligenter deſcripſit. In DOMITIANI tempora incidit quoque ASCLEPIADIS aetas, cui *tertius* a Noſtro adſignatur locus, atque e lapide Reineſiano probatur, quo is L. ARRVNTIVS SEMPRONIANVS ASCLEPIADES medicus DOMITIANI appellatur. *Quartus* medicus eſt CALPVRNIVS ASCLEPIADES, teſtante antiquitatis monumento. p. 122.

Sequuntur tandem bini vltimi, quorum vnum, qui ordine *quintus* eſt pariter antiquo, cognouit, T. ΑΙΛΙΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ἰατρὸς λοὐδ. ματ. χειρ. medicus ludi matutini chirurgus; alter et *ſextus* appellatur P. NUMITORIVS PVBLII libertus medicus ocularius e. ſ. p. p. 128.

Iam ſequitur medicina veterum lapidaris. Hic lapides, quorum vis ſalutaris, a veteribus laudatur, et a recentioribus, nonnullis lapidibus exceptis, vt magnes, haematites etc. prorſus reiicitur, collecti ſunt a Noſtro, qui quaedam de lithologia veterum chirurgica hic commentatur. p. 131.

p. 141. De Pyrrhonifmo medicorum veterum quaedam hic a Noftro traduntur. In Aegypto medicinae ratio vnice in longo rerum vfu multaque experientia fita fuit atque collocata. Deinde autem, quum literae ex Aegypto in Graeciam migrarent, medici Graeci de morbis quoque philofophabantur, et, quae maiores vfu atque experientia didicerant, ad principia et cauffas primas revocare, ipfaque veterum de morbis praecepta ad artis et difciplinae formam traducere ftudebant. Quemadmodum tum in Graecia permultae philofophorum fectae, familiae et difciplinae erant: fic et fecta florebat, quae dicebatur Pyrrhonia, cui multi amici ftrenuique defenfores erant.

p. 149. Huic primum praefuit PYRRHO, a quo etiam duxit nomen fecta, qui arbitrabatur, rerum naturae cauffas adeo faepe tectas et abditas effe, vt aegre, quid verum fit, quidue minus, rite poffit detegi. Vt ne hanc ob cauffam falfis opinionibus, fophifmatibus idque genus aliis decipiamur, decere philofophum credit, ob virium intelligendi imbecillitatem, et propter tot fenfuum fallacias, de quibufuis rebus dubitanter pronunciare, nec quidquam fine clariffimis et euidentiffimis documentis, pro vero habere. PYRRHONEM itaque amicum fuiffe medicae experientiae, non vero opinionum et fophismatum, ea deftitutorum, Nofter probat, ita, vt a primis artis medicae initiis, ideoque paullo altius rem repetat.

p. 157. Rurfus de morbis veterum obfcuris Nofter agit. Ex ARETAEO duo commemorantur morbi, quos venae cauae acutum morbum, et πνευμῶδεν appellat, et in CAELIO AVRELIANO catalepfeos fpecies occurrit. Sunt vero haec mala, noftra aetate non obuia, nec fatis accurate a veteribus defcripta Noftro

ſtro videntur. Quapropter et medicos Cl. WALCH monet, vt paullo diligentius in haec morborum ſigna inquirant, eorumque rationem reddant.

Finit hunc librum tractatio de venae cauae morbo acuto apud ARETAEVM. Hic morbus ab ARETAEO ita deſcribitur, vt non de duobus diverſis venae cauae morbis, ſed de vnico tantum ſermonem eſſe, luculenter appareat. p. 167.

Hoc probato, diſquiritur a Noſtro: vtrum morbus iſte ſciſſura venae cauae ſit, nec ne? Alii enim hunc morbum rupturam ſeu fiſſuram cavae venae, alii inflammationem eiusdem eſſe autumarunt. Rupturam autem non largitur Noſter; nam κέδματα fiſſuram venae cauae non deſignare contendit. Pariter non credit Noſter, ARETAEUM iecoris vitia cum venae cauae inflammatione confudiſſe. p. 170.

Ad inflammationem autem ramulorum venae cauae, per iecur ſparſorum, quod attinet, duplex iam oritur apud Noſtrum quaeſtio: altera, quomodo ARETAEUS inflammatos ramulos illos acutum venae cauae morbum dicere poſſit, quum tamen nuſpiam apud veteres medicos, neque apud ipſum ARETAEVM ramulis his nomen venae cauae fuerit adſignatum? altera, qua ratione ARETAEVS poſterius inflammationis genus pro ſatis frequenti venditare potuerit. Omnino autem huius morbi ARETAEI deſcriptio non egere obſcuritate Noſtro videtur. p. 177.

XVI.

Etwas von Fiebern. Erster und Zweyter Abschnitt, von G. I. BEVTH. *Cleve und Leipzig, bey Joh. Gottlieb Baerstecher, Buchhaendler.* 1771. 8. *Seiten* 112 *u.* 107.

i. e.

Quaedam de febribus. Prima et secunda sectio. Auctore G. I. BEUTH. M. D.

Ex dedicatione, quae directa est ad Cl. LEIDENFROST, intelleximus, in tribus sectionibus
Sect. I. Nostrum hanc rem esse absoluturum. Prima haec sectio constat quinque capitibus, quorum primum agit de idea febris; et de essentialibus symptomatibus secundum; tertium antecedentes caussas, quae cernuntur in sex rebus non naturalibus, pertractat, quae haec febris symptomata efficiunt; in quarto enarrantur effectus, qui a febribus producuntur, ac quinto denique capite de accidentalibus febris symptomatibus disputatur.

p. 9. HELMONTIVM primum esse Noster arbitratur, qui naturam febris effectricem iudicauit. Examinatis febris definitionibus HELMONTII, SYDENHAMI, STAHLII, BOERHAAVII et SWIETENII, aliorumque veterum et recentiorum, febris idea a Nostro ita formatur, vt sit febris fortior motus humorum, quo quaedam peregrina materia e corpore expellatur.

p. 22. Ad essentialia symptomata febris refert Noster maius aut minus frigus, caloris varios gradus et plus minusue celerem pulsum. Horror febrilis cernitur vel in horripilatione vel in frigore vel in rigore,

gore, qui ad conuulſiones propemodum accedit. Calor febrilis poteſt eſſe maior et minor, humidus et ſiccus.

Cibus et potus inſeruit febribus vel ex eorum acrimonia, vel ex indigeſtione, quam inducunt in corpus, vel efficiunt. p. 30.

Palpitatio cordis non eſt effectus febris, ſed materiae febrilis: anxietates cordis ſolummodo a febre ipſa pendent. p. 44.

Ad primum enim ſtadium pertinent ſtagnationes, impeditus ſanguinis circuitus et cordis anxietates, indeque oritur frigus. Ad alterum autem reſolutio tenacis febrilis materiae, qua ſtagnationes ortae ſunt: liberior rurſus circulatio, ſanguinis calor et rubor. Hic iam vires naturae ſeparandae ſunt, quae in contractione cordis, ei propria, cernuntur. Reliqui motus, ſupra memorati, ſunt febris, de cuius ſalubritate, cruditate, coctione et criſi nunc Noſter diſputat. Omnes febres vel plena ſanitas, p. 56. vel mors, vel alius morbus ſequuntur. p. 47.

Diſpeſcuntur ſymptomata febrilia a Noſtro quoque in quatuor claſſes, quarum vna ea continet, quae omnibus omnino febribus ſunt communia, vt horror, calor, celer pulſus. Altera ea complectitur ſymptomata, quae huic vel illi febri ſunt propria, e. g. intermiſſio febris febribus intermittentibus ſolemnis ſolummodo eſt. Tertia claſſis ea ſpectat ſymptomata, quae quibusdam quidem conueniunt febrium ſpeciebus; tamen et aliis morbis ſuperueniunt, vt ſunt peruigilium, delirium, coma, conuulſionesque. Vltima claſſis attinet ea ſymptomata, quae accidentium nomine inſigniuntur, nec praeterea ad eſſentiam febris pertinent, vt ſitis, nauſea, ructus, vomitus, diarrhoea, exanthemata cutanea. p. 59.

Sect. II. In secunda sectione ordinem febrium Noster persequitur, earumque diuisionem in continentes, intermittentes et continuas addit. Postea continentes benignas, vt ephemeram, synochum simplicem: et malignas, vt synochum putridam et febrem ardentem pertractat. Tum sequuntur intermittentes et remittentes seu continuae e. g. febres catarrhales inflammatoriae, phrenitis, angina, peripneumonia, pleuritis, paraphrenitis, inflammatio ventriculi, intestinorum, nephritis, hepatitis. De his in quatuor capitibus a Nostro disputatur.

p. 8. Eas febres, quas Noster appellat continentes, Cll. BOERHAAVIUS et ELLERUS febres continuas non remittentes nominarunt; et eae, quas Noster ad continuas retulit, continuae remittentes ab illis nuncupatae sunt.

p. 22. Malignitas febrium acutarum cernitur potissimum in prostratione virium, pulsu debili et obscuro et anxietate praecordiorum.

p. 44. Sanguificationis in physiologia difficillima Nostro videtur explicatio. Nam pulmonibus et motui partium solidarum sanguificationem non tribuit. Id quod ex ouis, calori animali subditis, illustrat. Ceterum non negat, se ignorare, quo modo chylus in sanguinem mutetur, vtrum sanguificatio solius sanguinis ope fiat, an aliae functiones s. humores ad eam perficiendam requirantur?

Angina inflammatoria a Nostro cum RIVERIO ita definitur, vt sit febris inflammatoria cum impedita respiratione deglutitioneue, vel vtraque. Simul hoc impedimentum vel in faucibus, vel in arteria aspera, vel in oesophago potest latere. Quod si vero hic morbus a vitio abdominis seu pectoris

et

et aliarum partium corporis proficiſcitur, non dicitur angina inflammatoria.

Peripneumonia a Noſtro diſpeſcitur in pulmonalem et bronchialem: pleuritis in ſiccam et humidam, in idiopathicam et ſymptomaticam e. ſ. p. p. 70.

Inter ſymptomata, paraphrenitidi potiſſimum propria, refert Noſter tuſſim cum ſternutatione, ſingultum, riſum ſardonium et vomitus. p. 86.

Calculus raro excitat dolorem, quam diu in pelvi renum haereat; ſimulac autem ille peluim reliquerit, poteſt ad nephritidem conferre: rurſus fortior et continua equitatio. p. 93.

Reiicit Noſter Cl. BOERHAAVII duplex inflammationum genus, nec attendit in hepatitide ad vaſa hepatis ſanguifera propria et communia, in quorum, ſi obſtructione laborent, diuerſitate, apud BOERHAAVIVM ſpectatur inflammationum varietas. Nam in hepatitide non obſeruatur marcor hepatis, ſed icterus ſemper propemodum hepatitidem comitatur. Symptomata itaque hepatitidis ſemper iudicauit Noſter vna eademque. p. 96.

Non raro vermes, ex duodeno in veſiculam felleam repentes ibique morantes, ictero inſeruiunt. Reſeruat Noſter ipſe felleam veſiculam viri, ictero mortui, in qua lumbricum craſſum et magnum reperit. p. 106.

Quemadmodum in ictero laborantibus albuginea primum: ſic tandem oſſa ipſa tingi flauo colore, licet raro, Noſter arbitratur. p. 107.

XVII.

IOANNIS BERNHARD. HULLESHEIM Med. Doct. et Professor. publ. ordin. in Gymnas. acad. Lingens. gemellarum infantum abdominibus connatarum breuis historia cum animaduersionibus theoreticis et practicis, et adiuncta de duobus monstris appendice; nec non morbi rarissimi historia. Zwollae, apud S. Clement. 1770. 8. pagg. 28. sine praefatione c. f.

p. 1. Gemellae hae, de reliquo sanae infantes, sibi inuicem abdominibus ab ensiformi processu infra vmbilicum vsque accretae, et paullo post partum mortuae sunt: quarum iconem curauit, ob partum sane mirum eiusque satis felicem euentum, quem hic ex relatione obstetricis narrat, nihilque certi complecti intelleximus. Inter grauiditatem sentiebat grauida corpus graue, vt lapidem magnum, vita carens, nec quidquam fecit aut vidit, quod huic coalitioni in grauiditate inseruire posset, excepto hoc, quod duos infantes inter grauiditatem in gremio posuerit, ac ex tenero amore pectori appresserit. Num imaginatio grauidae hic ad coalitionem quid afferat, iudicio aliorum relinquit Noster.

p. 7. Porro quaerit Noster: an haec concretio, si viuae ac sanae mansissent hae gemellae, sectione felici cum successu separari potuerit? negat autem, hoc fieri potuisse ob haemorrhagias oriundas, nec non ob incertitudinem, vtrum integumenta communia vtraque habuerit, visceraque abdominalia vtriusque libera fuerint accretaue, nec ne? Quodsi vero alterutra mortua fuisset, tentanda dissectio Nostro videtur.

Descri-

Deſcribuntur hic duo monſtra, quorum vnum ex adſpectu capitis equini ficti illud prae ſe ferebat; alterum habebat frontem, ſetis ſuillis cinctam, ad oculos vſque pendentibus. Brachia bene erant comparata, excepto extremo, cui haerebat adnata vngula porcinae ſimilis, deficientibus cubitis atque manibus. Illud non diu vixit, hoc per ſex menſes: quod pariter Noſter terrori et adſpectui tribuere, atque ita imaginationi grauidarum laeſae fauere videtur. p. 11.

His accedit hiſtoria morbi rariſſimi, quo laborabat femina viginti ſex annorum. Erat cachexia leucoplegmatica ſcorbutica, coniuncta cum debilitate neruoſa et fiſtula inteſtini recti, in vaginam ſeu orificium vteri externum potius, quam in vrethram penetrante, etiamſi id quoque per vaſa haemorrhoidalia interna, ad vrethram tendentia, fieri poſſe Noſtro videretur. Indeque flatus cum tanto ſibilo, vt adſtantes audirent, ac aegra manifeſte ſentiret, nec non aliae particulae peregrinae ſimul cum vrina et ſine ea per vias vrinarias exibant. Aegra enim retulit, ſemina duo ribium, praecedente die comeſtorum, cum vrina effluxiſſe. p. 15.

Quapropter quaeritur a Noſtro: quis morbus, quae cauſſa morbi, prognoſis, cura? quae flatuum cauſſa per vrinae vias erumpentium aliarumque peregrinarum rerum? Quibus reſolutis, hanc raram morbi ac ſumme complicati deſcriptionem tradit HERRMANN BOERHAAVE, cuius diſcipulus Noſter fuit, ideoque conſilium ſibi expetiit. p. 19.

Ex additis literis BOERHAAVII cognouimus, ſe quidem de acinis, flatubus, aliisque vrinae via emiſſis, etiamſi ſimilia exempla occurrant in ſcriptis medicorum, dubitare, illudque haud ſatis capere; morbum tamen pendere a ſyſtemate neruoſo debili et mobili cum ſiccitate macilenti corporis et magna obſtructione in ſyntaxi coeliaca ac meſenterica. p. 26.

XVIII. No-

XVIII.

Noua physico medica.

Societas scientiarum *Bruxellis* 1769 fundata, cuius instituti rationem supra reddidimus *), per edictum Imperatricis Augustissimae MARIAE THERESIAE die 16 decembris 1772 Academia Caesareo Regia scientiarum elegantiorum literarum et bonarum artium designata est.

Seelandinam societatem artium et scientiarum Vlissingensem praemium monetae argenteae esse adiudicaturam auctori dissertationis, quae inscripta est: *nunc alio nunc rursus alio fit obuia vultu*, et tractat illam quaestionem: *potestne naturae scrutator ex cognitis cum obseruationibus et experimentis etc.* **) nuper relatum legimus. Profiteatur autem suum nomen, rogat societas.

Missis aliis problematibus, ab Academia scientiarum elegantiorum literarum et artium *Rothomagiensi*, eruditis cum viris communicatis, nec nos attinentibus, hanc solummodo quaestionem hic repetimus.

Optat nimirum Academia, vt quis disserat *de mechanismo secretionis vrinae cum descriptione organorum huc spectantium, quaeque celeritatem, quacum vrinae secretio expeditur, iuuent.*

(*Sur le méchanisme de la sécretion des urines avec une description des organes, qui operent et qui concourent à la promptitude avec la quelle cette sécrétion s' exécute*).

Pertinet hoc problema ad annum 1773: et is, qui hanc in rem inquiret ex voto Academiae, exspectare

*) v. comm. nostr. Vol. XVII. p. 345. it. Vol. hoc p. 252.
**) v. comm. nostr. Vol. hoc p. 538.

ctare poteſt maximum praemium, monetam auream trecentarum librarum Gallicarum, quod Academia munificentiae Ill. Ducis DE HARCOURT debet.

Commentaria autem ante primum iulii diem 1773 Cl. L. A. DAMBOURNEY, qui ab epiſtolis Academiae eſt, tradenda ſunt. Praeterea *Eiusdem* nulla nobis lex in ſcribendis mittendisque elaborationibus conſtat, quae ab aliarum academiarum legibus vllam prodat diuerſitatem.

L' Acceſſit ab *Eadem* nacta eſt commentatio poetica, continens literas patris in obitum filii vnici, decimo aetatis anno ex variolarum inſitione mortui, cuius Auctor Ill. comes DE LAURENCIN eſſe dicitur.

Praemia reliqua anatomiae, chirurgiae, arti obſtetriciae, botanicae, matheſi et hydrographiae dicata, inter ſtudioſos, his de ſcientiis optime meritos, ſunt diſtributa.

Regia ſocietas *Pariſienſis*, in emolumentum et incrementum rei ruſticae conflata, promiſit ei praemium quadringentarum librarum Gallicarum, qui ad hanc quaeſtionem 1774 datam ita reſponderet, vt exſpectationi ſocietatis fieret ſatis.

Eſt ita quaeſtio comparata: *Quaenam erat Romanorum agricultura ab initiis inde Reipublicae ad tempora* IULII CAESARIS, *quatenus imperium, mores, et commercium ſpectet?* (*Quel étoit l' état de l' agriculture chés les Romains, depuis le commencement de la Republique iusqu' au ſiecle de* IULES CAESAR, *rélativement au gouvernement, aux moeurs et au commerce?*)

Commentaria ſunt ante 1 diem decembris 1774 tradenda atque latino vel franco gallico idiomate ſcri-

ſcribenda *). Leges praeterea cum aliis ſocietatibus ſunt eaedem.

Regia ſcientiarum et literarum elegantiorum *Berolinenſis* Academia problema ex phyſica vegetabilium conſideratione depromptum, *theoriam transplantionis* ſpectans atque 1770 propoſitum, iterum communicat cum viris eruditis hoc 1773 anno. Quaeratur vt hoc in ſuperioribus **), rogamus. Ibi enim non ſolum quaeſtionem, ſed et modum, quo optat Academia, vt reſpondeatur, inuenies.

Societas oeconomica *Petropolitana*, cuius iam mentionem fecimus ***) duas theſes in rem ruſticam iudicio eruditorum committit. Ac prima quidem haec eſt:

Ex diuerſa natura ſoli prouinciarum Ruſſicarum determinetur, quantum terrae requiratur ad domum, agros et id genus alia exſtruenda, vbi familia ruſtica, quae conſtet ex duobus viris totidemque feminis, et, qui iis reſpondeat, ſenum infantumque numero vitam degat, vt habeat familia in eiusmodi habitaculo, vnde ſubſiſtat, omnibusque negotiis, quae demumcunque ſint, ſubeundis et praeſtandis par ſit.

(De déterminer, d' après les différentes qualités du ſol des provinces Ruſſes combien il faut de terrein pour la maiſon, les champs cet., d' une famille des laboureurs, conſiſtant en deux ouvriers, deux femmes et un nombre proportionné de vieillards et d' enfans; pour que cette famille trouve dans cette habitation une ſubſiſtance et un entretien ſuffiſant et qu' elle puiſſe elle même ſuffire à tous ſes travaux.)

Ela-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 357.

**) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 358.

***) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 545.

Elaboratio, quae ad prouinciam Ingriae accommodata ſit, centum numorum aureorum, quae et alias prouincias ſpectet, quinquaginta aureorum deportabunt.

Altera, praemio quinquaginta aureorum numorum Hollandicorum, ita legitur: *Qui eſſet optimus modus habitaculum ruſticum, conſtans ex aedibus, aula, horeo, horto ceteraque exſtruendi, vt ſimplex illud ſit minusque ſumtuoſum, iis tamen non deſtituatur, quae ruſtico ex climatis natura ſint neceſſaria.*

(*Quel ſeroit le meilleur plan d' une habitation de payſan, maiſon, cour, ecuries, grangues et bâtimens neceſſaires, de manière, que cette habitation fût auſſi ſimple et auſſi peu diſpendieuſe, qu' il ſeroit poſſible, et qu' elle renfermât neanmoins toutes les commodités néceſſaires au payſan, en égard au climât*).

Pertinent hae duae theſes ad annum 1773, quarum elaborationes a ſocietate exſpectantur ante 1 diem octobris eiusdem anni. Quo ipſo die conueniet *Eadem* ad has res diſquirendas, ac praeterea quinque monetas aureas, ſingulam pretio centum numorum, quinque chirurgiae ſtudioſis indigenis attribuet, qui per hunc annum 1773 commentarium vel tres obſeruationes dignas exhibitas cum ſocietate communicarunt.

Facultatem medicam *Pariſinam* numos accepiſſe a Cl. CUVILLIERS DE CHAMPOYAUX medicinae doctore ad quaeſtiones cum eruditis viris communicandas, praemiisque ornandas, ſi elaborationes eorum facultati placeant, nuper retulimus *).

Quaeſtio, quae ab *Ea* proponebatur, id volebat: *num poſſent morbi contagioſi praeuideri, arceri, ac, ſi iam progreſſi ſunt, impediri?* (*S' il eſt poſſible de prévoir les maladies épidemiques, et quels ſeroient* les

*) v. comm. hoc Vol. hoc. p. 150.

les moyens de prévenir ou d' en arrêter le progrès ? *).

Atque in hanc rem ita Cl. LEBRUN medicinae doctor inquisiuit, vt votis facultatis medicae Parisinae responderet elaboratio et praemium reportaret.

Postea nouam quaestionem tradit *Eadem* facultas, cuius responsionem exspectat 1774. Est haec: *quinam est pestis, si ea est peculiaris morbus, character? quaenam remedia ad eam curandam et praecauendam?* (*si la peste est une maladie particulière, quel en est le caractère, quels sont les moyens de la traiter et de la prévenir?* Reliqua vide loco paullo ante memorato.

Gothae auctoritate et munificentia serenissimi Ducis in vsum publicum theatrum anatomicum exstructum est, cui Experientissimus GRIMM consiliarius et archiater, est praefectus. Id simul cautum est, ne copia cadauerum deficeret. Demonstrationes quoque iam coeptas esse legimus. Initium factum est praeterito 1772 anno.

Erfordiae experientissimum atque excellentissimum IOANNEM CAROLVM OETTINGER, medicinae professorem publicum extraordinarium designatum fuisse iam indicauimus **).

Adiit illam professionem Cl. OETTINGER tractatione, qua de febribus, ab initio fere mensis decembris 1771 per annum 1772 huc vsque Erfordiae, inque eius confiniis epidemice grassantibus, nonnulla commentatur: ac simul pro muneris, sibi clementissime demandati, ratione ad audiendas praelectiones artis salutaris cultores inuitat ***).

Cl. IO-

*) v. ibid.
**) v. comm. nostr. Vol. XVII. p. 719.
***) Quae prodiit Erfordii ex officina Nonnii 1772. 4.

Cl. IOAN. AUG. WOHLFARTH *), medicinae doctor in vniuersitate, quae *Halae ad Salam* floret, eiusdem artis professor extraordinarius factus est.

Cl. IOANNEM FRIDERICUM GMELIN, medicinae doctorem, fuisse creatum *Tubingae* professorem extraordinarium medicinae relatum legimus.

Illustris FERDINAND. IACOB. BAIERVS, Academiae naturae curiosorum Praeses **), qui Norimbergae hactenus est moratus, consiliarius aulicus Onoldinus factus est, et Onoldum iam sese contulit.

Hafniae CHRISTIANVS LODBERG FRIIS medicinae doctor et professor primarius initio huius 1773 anni obiit.

Cassellis die 14 decembris 1772 Cl. THEODORVS AVGVSTVS SCHLEGER medicinae doctor et professor et h. t. Prorector ***), anno aetatis quadragesimo quinto obiit.

Hamburgi die 4 februarii 1773. GEORGIVS FRIDERICVS RICHERZ, medicinae doctor et xenodochii medicus ordinarius, anno aetatis sexagesimo secundo animam efflauit.

Experientissimus BATIGNE praeterito 1772 anno, qui tractatum de digestione ****) scripsit, *Berolini* vitam cum praematura morte commutauit.

Ibidem

*) v. comm. nostr. Vol. XVII. p. 159.
**) v. comm. nostr. Vol. XV. p. 706.
***) v. comm. nostr. Vol. hoc p. 149.
****) v. ibid. Vol. XVI. p. 96.

Ibidem porro experientiſſimus LEON ELIAS HIRSCHEL, qui variis ſcriptis inclaruit, optimo aetatis flore e viuis ereptus eſt, vltimo anni 1772 menſe.

Bernae ſocietas typographica commercium litterarum Ill. ALBERTI AB HALLER inter celeberrimos medicos ac phyſicos ALBINUM, REAUMUR, NOLLET, WERLHOF, PRINGLE, HEISTER, TREWIUM, MORGAGNI, SENAC, IACQUIN, BURRMANN, TISSOT, ZIMMERMANN, cet. ita publici iuris ſe facturum eſſe pollicetur, vt in duodecim voluminibus, quorum ſingulum viginti et quinque ſeu triginta plagulis conſtabit, ſubinde prodeat in octauo. Octo volumina epiſtolis, Latino idiomate ſcriptis, quatuor Teutonico, Francogallico, Anglico et Italico exaratis abſolui dicuntur. Quotannis duo vel tria apparebunt volumina.

Praeterea et Ill. AB HALLER ſpopondit, neglectis rebus domeſticis, eas ſe excerpturum, quae vſu ſuo non deſtituantur, nec non ſparſim, vbi neceſſe ſit, annotationibus loca nonnulla, quae obſcuritatem aliquam prodere videantur, illuſtraturum eſſe.

Berolini Cl. ZUCKERT materiam medicam b. LOESECKII recudendam curauit.

Magiſtratus, qui *Inſulae* praeeſt, edictum die 14 octobris 1772 in ſalutem merſorum promulgauit, quod cum aliis huius rei inſtitutis, a nobis quoque partim commemoratis *), conuenit.

Tria loca publica cineribus praeparandis deſtinata ſunt. Vrbis chirurgus, qui clyſmatico inſtrumento ad fumum nicotianae adhibendum inſtructus

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 147.

ctus eſt, quorſum arceſſitur, praeſto eſſe debet. Qui merſum detegit et iuſto loco indicat, ſex florenos accipiet. Caeterum ſumtus, qui, vt magiſtratus voluntati fiat ſatis, ſint impendendi, pari modo reddentur.

Hafniae xenodochium Fridericianum, nuper conſtitutum, iam vero denuo ſtabilitum, directores habet praefectum vrbis praeſidem, profeſſorem medicinae, qui hactenus erat b. FRIIS **), chirurgiae profeſſorem, qui nunc eſt Cl. HENNINGS, vnum ex camera conſiliarium, et duos ſenatores.

Eo inprimis in hoc noſodochio reſpiciatur, ſecundum fundationem b. Regis die 6 auguſt. 1756, vt pauperes et aegri ciuium ante omnes ibi excipiantur, auxilio medicamentisque ſubleuentur; neque vero iis aditus concedatur, qui ex morbo venereo laborent. Cum quoque Regia auctoritate ſimul iuſſum ſit, vt eorum, qui ſuis ſumtibus ibi viuerent, tot reciperentur, quot loci ſpatium capit, etiam his omni modo conſulitur. Serui porro et omnes omnino ſine vllo diſcrimine excipiuntur, iisque non ſolum medicina, ſed omnia auxilia ad vitam neceſſaria offeruntur. Quilibet eorum quotidie vnam libram Danicam (*mark däniſch*) ſoluat; eos vero, qui vita lautiori vtuntur, duas pendere oportet.

Irkuzkiae in Sibiria ex auctoritate praefecti ducis A BRILL ex munificentia Auguſtiſſimae Imperatricis Ruſſorum domicilium, aegris variolis inſitis vel inſerendis, variolarumque inſitioni, ſacrum exſtructum eſt. Neque euentus exſpectationem fefellit. Etenim a die iulii vigeſimo ſexto 1772, vſque ad duodecimum decembris eiusdem anni, quadringentis

 quadra-

*) v. ſupra p. 721.

quadraginta infantibus variolae ſunt implantatae, ita, vt ne vnus quidem eorum periret. Quare et inſigni induſtria Cl. KRATSCH chirurgi, qui horum aegrorum curam habet, plures in dies permoti parentes liberos non ex vicinia ſolum, ſed qui magis diſtant, huc ad inſerendum deferunt.

Halae ad Salam quidam in arte chemica admodum clarus, tentaminibus, cum cupro inſtitutis, vt eius virtutes et vim venenatam internam paullo clarius diſtingueret, eandem rem fortuito ita detexit, vt venenum hoc adeo efficax produceret, quod et in minima doſi absque vllo remedio haberet effectum lethalem. Ex nonnullis animantibus, quibuscum pericula fecit, apparuit, cadauer intra viginti et quatuor horas totum in fermentationem ita abiiſſe, vt omnis eiusdem maſſa putredinem proderet.

Heilbronnae ex bibliopolio Eckebrechtiano noua et minus ſumtuoſa hiſtoria naturalis cum figuris aeneis proditura eſt. Quinque ſectionibus primo animalia quadrupeda, dein aues, rurſus inſecta, animalia repentia, ſicuti et ranae, bufones, lacertae cet. tum piſces et alia animalia marina et poſtremo arbores et frutices oeconomice potiſſimum abſolui dicuntur.

Explicatio, ibi, vbi quadrupeda tractantur, ex opere Buffoniano et Daubentoniano*) repetetur ita, vt ſuperflua omittantur, neceſſaria vero et vtilia ſeruentur: obſeruationes inſimul atque annotationes reliquorum Auctorum aptae et vtiles non praetermittentur.

Figurae ad inſtar earum, quae a MERIAN operi Ionſtoniano ſunt annexae, aeri incidentur, vbi vero


*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 540.

vero naturae non respondent, emendandae, et nouis tabulis animalia, Cl. IONSTONO incognita, delineanda sunt.

Quaelibet sectio thalero vno et dimidio constabit; praenumerando autem vno tantum thalero. Iam prima sectio cum viginti tabulis in folio prodiit, et altera ad festum paschatos subsecutura dicitur.

In officina libraria Gleditschiana Lipsiae iam olim editae prodierunt 1773. IACOBI THEODORI KLEINII descriptiones tubulorum marinorum, in quorum censum relati sunt lapides, caudae, cancri GESNERI, et his similes belemnitae, eorumque alueoli secundum dispositionem musei Kleiniani: addita est dissertatio epistolaris de pilis marinis. Cum decem tabulis aeneis Gedani et Lipsiae. 4.

Prostant et alia in hac officina scripta Kleiniana, vt historia piscium, echinodermata, stemmata auium, lapides figurati etc. quorum mentionem autem hic solummodo facere possumus.



XIX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1770 prodierunt.

SANCTORIUS SANCTORIUS de medicina ſtatica aphoriſmi. Commentaria, notasque addidit ANNA CAROL. LORRY. Paris. 12.

MICHAEL SARCONE Med. Doct. *und oberſten Spitalarztes bey dem Schweitzer Regiment von Jauch in Neapel, Geſchichte der Kranckheiten, die durch das gantze Jahr 1764 in Neapel ſind beobachtet worden. Erſter Theil. Aus dem Italiäniſchen überſezet durch D.* IOHANN THEODOR SCHMID VON BELLIKON. *Zürch.* 8. mai.

Noſologie méthodique dans la quelle les maladies ſont rangées par claſſe, ſuivant le ſyſtême de M. SYDENHAM et l' ordre des botaniſtes. Traduit du latin de M. SAUVAGE; avec une table alphabétique et raiſonnée de matières et de maladies, par M. NIÇOLS. Tom. I. II. III. à Paris. 8. min.

La prâtique du iardinage par M. l' Abbé ROBERT SCHABOL, redigée après ſa mort par M. D. Vol. I. II. ibid. 12.

Eiusd. dictionnaire pour la theorie et la prâtique du iardinage et de l' agriculture. ib. 8.

IACOB. CHRIST. SCHAEFFER *Empfehlung, Beſchreibung und erweiterter Gebrauch des ſo genannten und zur Erſpahrung des Holtzes höchſt vortheilhaften Backofens. Nebſt fünf Kupfertafeln. Regensb.* 4.

Eiusd. fungorum, qui in Bauaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur, icones. Tom. III. ib. 4.

SAMUEL FRIDERIC. SCHEFFEL ſpec. inaug. ſiſtens de fetu, natibus in partu prodeunte, obſervationes et analecta. Gotting. 4.

CAROL.

CAROL. LEBERECHT SCHEFFLERS *Abhandlung von der Gesundheit der Bergleute. Chemnitz. 8.*

GODOFR. WILLH. SCHILLING diatribe de morbo, in Europa paene ignoto, quem Americani vocant *Iaws*. Vltrai. ad Rhen. 8.

SALOMON SCHINZ diss. de stanno eius miscelae cum plumbo in re oeconomica vsu. Tigur. 4.

ADAM GOTTLOB SCHIRACHS *Pastoris zu Kleinbautzen ausführliche Erläuterung der unschätzbaren Kunst iunge Bierenschwärme oder Ableger zu erziehen. Nebst einer natürlichen Geschichte der Bienenköniginn oder Weyselerzeugung und deren wichtigen Einfluße in die Oekonomie der Bienen, nach neuen genauen Beobachtungen und physicalischen Erfahrungen. Budißin.* 8.

Versuche mit den Mutterkorn von D. THEOD. AUGUST SCHLEGERN. *Cassel.* 4.

De phasco obseruationes, quibus hoc genus muscorum vindicatur atque illustratur. Auctore IOH. CHRIST. DAN. SCHREBERO. Lips. 4. c. tab. aen.

PHIL. GEORG. SCHROEDER diss. inaug. circa variolarum distributionem, inprimis ratione febrium, cum iis coniunctarum, quaedam analecta Resp. *Isaac Daniel Fellinger*. Gotting. 4.

Eiusd. diss. inaug. de viribus naturae debilioribus, in febrium decursu recte aestimandis, iisque accommodanda medendi ratione, Resp. *Paul Henr. Weis*. ib. 4.

IO. FRIEDR. SCHÜTZENS *gründliche Anweisung zur Hebammenkunst. Hildburgshausen.* 8. *m. K.*

MARTIN WILLH. SCHWENKE Breef an den Heeren EDUARD SANDIFORT behelzende eenige Aanmerkinge over het getal en het ouderdom der gestorvenen aan de Kinderpokies over

derzelven inenting en de behandeling der natuurlyke ziekte. Te Haag. 8.

IO. ANTON. SCOPOLI *Bemerckungen aus der Naturgeschichte. Erstes Jahr, welches die Vögel seines eigenen Cabinets und zugleich einige seltene, die er in dem Kayserlichen Thiergarten und in der Sammlung des Grafen* V. THURN *gesehen, beschreibet. Aus dem Lateinischen übersezt und mit Anmerkungen versehen von* FRIEDR. CHRIST. GÜNTHER. *Leipz.* 8.

Eiusd. annus quartus historico naturalis. Lipſ. 8. (*Hic liber obseruationes ex historia naturali et oeconomia continet*).

IO. ANDREAS VON SEGNER *Einleitung in die Naturlehre. Dritte und verbesserte Auflage. Halle.* 8.

CHRIST. GOTTLIEB SELLE diſſ. inaug. continens methodi febrium naturalis rudimenta. Halae. 4.

CHRIST. GOTTLIEB SEMLERS *astronomische Beschreibung und Ausrechnung des Cometen von* 1769, *samt einer mathematischen und philosophischen Schöpfungshistorie der gantzen Welt, zum Beweiß, daß unsre Erde nicht aus einen Cometen geschaffen sey, auch beygefügter Zeichnung der Cometenbahn und einem Register. Halle.* 8.

IOH. CHRIST. SENCKENBERG *Stifftungsbriefe zum Besten der Arzneykunst und Armenpflege, samt Nachricht wegen eines zu unternehmenden Bürger und Beysaßen Hospitals, zum Behufe der Stadt Frankfurth. Nebst Vorbericht von* RENAT. LEOPOLD CHRIST. CARL *Freyherrn* VON SENCKENBERG *mit Beylagen und zwey Kupfertafeln. Franckf. am Mayn. fol.*

Traité de l'électricité par M. SIGAUD DE LA FOND Demonstrateur de physique experimentale

tale de la société royale de Montpeillier. à Paris. 12.

ION. SIDREN diss. inaug. de ischiade. Resp. *Carol. Petr. Thunberg.* Vpsal. 4.

Eiusd. diss. inaug. de partu serotino. Resp. et Auct. *Henr. Gahn.* ib. 4.

IOH. ESAIAS SILBERSCHLAGS *Sendschreiben über das am 18ten des Jenners im Jahre 1770 zu Berlin beobachtete Nordlicht an seinen Bruder* GEORG. CHPH. SILBERSCHLAG, *Pastor an der Peterskirche in Stendal. Mit Kupfern. Berlin.* 4.

IO. IAC. SPIELMANN diss. inaug. sistens olerum Argentoratensium fasciculum alterum. Argentorat. 4.

D. SOLEILHET Med. Doct. Monspeliensis epistola ad A. ROUX circa annotationes nouae pulsuum doctrinae, quas nuper ANTON DE HAEN publici iuris fecit, ex gallica in latinam linguam versa cum adiuncta praefatione IOSEPHI HÜTTENBACHER Med. Doct. Viennens. Vienn. 8.

Eloge de la fontaine minérale de l' Epervière à une lieue de la ville d' Angers; par M. DE LA SORINIERE. à Paris. 12.

Traité de sels; dans lequel on démontre qu' ils sont composées d' une terre subtile intimement combinée avec de l' eau. Par M. GEOR. ERNEST. STAHL. Traduit de l' Allemand. à Paris. 12.

GEORG. WILHELM STEIN, *der Arzneygelahrheit Doctors, der Arzney, Wundarzney, und Entbindungskunst Professors am Collegio Carolino, theoretische Anleitung zur Geburtshülfe. Cassel.* 8.

GEORG CONRAD STOCKHAUSENS, *der Weltweisheit und beyder Rechte Doctors, Beyträge zur Rechtsgelahrheit, Oeconomie, Policey und Cammer-*

wiſſenſchaft; wie auch zur Naturgeſchichte beſonders von Heſſen. Des erſten Bandes zweytes Stück. Franckf. am Mayn. 8. (Hoc opus anno 1769 inceptum ita continuabitur, vt per tres menſes vna pars vulgetur, quarum quatuor volumen vnum ſiſtunt).

Beſchryvinge der waanſchappen teeldeelen en waterwegen in een man, en een wercktuig dienende den pis op te vangen. By IAN HENDRIK STOLTE Med. Doct. Zwolle. 8. mai. c. f.

Dictionnaire des prognoſtics ou l' art, de prévoir les bons ou mauvais événemens dans les maladies. Par M. D. T. Doct. en médécine. à Paris. 12.

ERESIUS THEOPHRASTUS *von den Steinen aus den Griechiſchen, nebſt* IOHANN HILLS *phyſicaliſchen und kritiſchen Anmerkungen, und einigen in die Naturgeſchichte und Chymie einſchlagenden Briefen aus dem Engliſchen überſezt. Mit Anmerkungen und einer Abhandlung von der Kunſt der Alten in Steine zu ſchneiden, vermehrt von* ALBR. HEINR. BAUMGAERTNER. *Nürnb.* 8.

De corpore nutritiuo et de nutritione tentamen chymico medicum. Auctore PETRO THOUVENEL. Pro prima Appollinari laurea conſequenda in Auguſtiſſimo Ludoviceo medico Monſpellienſi, menſe aprili 1770 propugnatum. Piſcenis. 4.

Trattato del celebre Signore Dottore S. A. D. TISSOT ſopra le malati e a cuiſous ſogette le perſone dedite aipiaceri del mondo. Tradatto dal Franceſce, nella favella Italiana du GIOVANNI VIGNOLI. In Lauſanne. 12.

Eiusd. *von den Krankheiten des Hofs und der Weltleute. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Bern.* 8.

Eiusd. *Abhandlungen über verſchiedene Gegenſtände der Arzneywiſſenſchaft. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Leipz.* 8.

S. A. D. TISSOT traité de l'épilepſie faiſant le tome troiſieme du traité des nerfs et des leurs maladies. à Paris. 12.

Eiusd. epiſtolae medico practicae auctae et emendatae. Lauſann. 12.

Eiusd. eſſai ſur les maladies des gens du monde. ib. 8.

Della vera influenza degli aſtri nelli ſtagioni et mutazioni di tempo ſaggio meteorologico fondato ſopra lunghe oſſervazioni. Auctore IOSEPHO TOALDO. In Padua. 4.

The preſent ſtate of midwifery in Paris with a theory of the cauſe and mechaniſm of labour. By Lond. A. TOLVER. 8.

IO. ERHARD TRAMPEL *Beſchreibung des Bades zu Meinberg in der Grafſchaft Lippe.* Lemgo. 8.

Mémoires et obſervations de chirurgie par M. TRÉCOURT. à Bouillon et à Paris. 12.

CHRIST. IAC. TREW *Abhandlung von einigen Verſchiedenheiten, welche an dem Menſchen vor und nach ſeiner Geburth wahrgenommen werden und denen dabey ſich äußerden Spuren der Allmacht und Weisheit Gottes. Aus dem Lateiniſchen überſezt und mit einigen neuen Anmerkungen des ſeeligen Herrn Verfaſſers vermehrt. Nürnb.* 4. *m. K.*

* * DE TREYTORRENT *zwey mediciniſche Tractate von dem Daſeyn Gottes aus der Schöpfung und Zeugung des Menſchen und von den Kranckheiten des weiblichen Geſchlechts. Lüneburg.* 8.

DAN. GUILIELM. TRILLERI diſſ. inaug. de morbis pubertate ſolutis. Reſp. *Daniel Gotthelf Berthold.* Vitemb. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de ſordidis et laſciuis remediis antidyſentericis vitandis. Reſp. *Immanuel Benedict. Funk.* ib. 4.

Die Pflicht eines Wirthſchaftsbeamten, wirthſchaftlich und nach der Policey betrachtet und entworfen von

IOH.

IOH. IOSEPH TENKA. *Erster Theil. Frankfurth und Leipz.* 8.

FRANC. XAVER. CASP. TRZEBICZKY diss. inaug. de irritabilitate et sensibilitate partium corporis animalis. Prag. 8. (sine anno)

H. E. VANDERSTADT tractatus de salubritate febris. Parisiis. 8.

Dissertation on a new antivenereal vegetable remedy, intidled M. DE VELNOS antivenereal syrup. Translated from the French. Lond. 8.

Nouveaux sécours pour les corps arrétés dans l'oesophage, ou déscription de quelques instrumens plus propres, qu' aucun des anciens moiens à rétirer ces corps par la bouche etc. inuentés par M. VENEL. à Lausanne. 12.

H. VINK lessen over de herkaauwing der runderen en der woedende veeziekte. Te Rotterdam. 8. mai.

FULGENTII VITMAN, Presbyteri Prof. botanices in Ticinensi academia, de medicatis herbarum facultatibus liber. Faenza. 8. Vol. I.

RUDOLPH. AUGUSTIN. VOGEL *neue medicinische Bibliothek. Des achten Bandes zweytes Stück. Göttingen.* 8.

Eiusd. diss. inaug. de chirurgia medicinae opem flagitante. Resp. *Leopold. Godofr. Oehme.* ib. 4.

Eiusd. diss. inaug. de lienteria. Resp. *Carol. Frider. Biel.* ib. 4.

Eiusd. diss. inaug. sistens theses medicas. Resp. *Ioh. Henr. Stutzer.* ib. 4.

IO. AUG. VNZERS *medicinisches Handbuch nach den Grundsätzen seiner medicinischen Wochenschrift der Arzt von neuen ausgearbeitet. Erster und zweyter Theil. Hamburg und Lüneburg.* 8. *mai.*

IOS. WALKER diss. inaug. de aqua sulphurea Harrowgatensi. Edimburgh. 4.

IO. GOTTSCHALK WALLERIVS *Anfangsgründe der Metallurgie, besonders der chymischen. Aus dem Lateinischen übersetzt. Leipz.* 8.

FERDINAND WARNERS *vollständige und deutliche Beschreibung der Gicht. Aus dem Englischen übersezt.* ib. 8.

IO. WARREN diss. inaug. de cortice Peruuiano. Edimburghi. 4.

I. I. WEBST medicina ex pulsu, seu systema doctrinae sphygmicae. Vindob. 8.

Plantas cryptogamicas florae Gottingensis collegit et descripsit FRIDERIC. GUILIELM. WEISS, Med. Doct. Gotting. 8.

FRID. AUG. WEIZ *vollständige Auszüge aus den besten chirurgischen Dispüten aller Academien nebst Anzeigen der neuesten chirurgischen Bücher und einem Anhange chirurgischer Neuigkeiten. Zweyter Band. Leipz. und Budißin.* 8.

Die Vortheile, welche der Staat durch die Einführung des Blatterbelzen erlangt, aus Staatsgründen betrachtet von EHRH. FRIEDR. WEINLAND. *Zelle.* 8.

The vniversal botanist and nurserymann. Containing descriptions of the species and varieties of all the trees, shrubs, herbs, flowers and fruits, natives and exotics and present cultivated in the European nurseries, Greenhouses and stoves, or described by modern botanists; arranged according to the Linnaean system with their Names in English. To which are added a copious botanical glossary several vseful catalogues and Indexes in four volum. By RICH. WESTON. Esq. Lond. 8.

Eiusd. botanicus vniuersalis et hortulanus exhibens descriptiones specierum et varietatum arborum, fruticum, herbarum, florum et fructuum indigenorum et exoticorum per totum orbem, seu cultorum in hortis et viridariis Europaeis, siue descri-

descriptorum a botanicis hodiernis, secundum systema magni LINNAEI digestorum. Cum nominibus anglice redditis, quibus addendi sunt indices, catalogi multi vtiles et lexicon botanicum copiosum. Tabulis aeneis illustratis Tomis quatuor. Londin. 8. (*Volumen primum huius operis prodiit* 1770.)

Cases in surgery with remarks. Part the first. By CHARLES WHITE F. R. S. surgeon the manchester infirmary. To which is added an essay on the ligature of arteries. By I. AIKIN surgeon. Lond. 8.

IO. CHRIST. WIEGLEBS *Apotheckers in Langensalza fortgesezte kleine chymische Abhandlungen. Langensalza.* 8.

Eiusd. *Vertheidigung der Meyerischen Lehre vom* acido pingui *gegen verschiedene darwider gemachte Einwürfe. Altenburg.* 8.

Beytrag zur Pockengeschichte von HEINR. AVGVST WRISBERG. *Erster Theil. Göttingen.* 4. *mai.*

A cour of experimental agriculture: containing an exact register of all the business transacted during five years. The whole stated in two thousand original experiments, By ARTHUR YOUNG. Vol. I. II. III. IV. Lond. 4.

Sopra lo scorbuto dissertazione del Signor Dottor GIOVANNI VERARDO ZEVIANI, coronata dalla reale academia delle scienze e di belle lettere di Mantova. In Verona 4.

IO. FRIEDR. ZÜCKERTS *physicalische diätetische Abhandlung von der Luft und Witterung und der davon abhangenden Gesundheit der Menschen. Berlin.* 8.

Con-

Contenta in hac parte.

INDEX.



INDEX.

A.

Bilis,

Epidemic;

G.

H.

Hydrops,

K.

L.

P.

Rhino-

Saxi-

Siſy-

T.

Trans-

V.

EMENDANDA.

Pag. 14. lin. 29. pronaeo lege perinaeo. p. 16. lin. vlt. manna l. magna. p. 47. lin. 4. earum l. eorum. p. 56. lin. 1. multum l. nullum. p. 57. lin. 31. fauet l. fauent. p. 58. lin. 7. Paucis l. Paucas. p. 69. lin. 6. eruenaa l. eruenda. p. 75. lin. 10. ceteterisque l. ceterisque. p. 80. lin. 13. gallorum l. gallarum. p. 90. lin. 16. solutioem l. solutionem. p. 92. lin. 19. Agitatur l. Agitur. p. 96. lin. 33. harum l. horum. p. 97. lin. 11. sieret l. fieret. p. 101. lin. 14. Freuirensi l. Treuirensi. p. 116. lin. 17. Venetae l. Veneta. p. 119. lin. 21. impregnatae l. impraegnatae. p. 136. lin. 2 et 3. corrigenguntur l. corriguntur. p. 160. lin. 1. chirurgici l. chirurgicae. p. 166. lin. 10. 1746. l. 1764. p. 171. lin. 2. solidaire l. solitaire. p. 174. l. 3. humanae l. humano. ibid. lin. 34. perfectionnet l. perfectionner. p. 179. lin. 26. STORY l. STÖRK. p. 181. lin. 20. vtilitates l. vtilitate. ibid. lin. 21. tio l. Dissertatio. ibid. lin. 23. 3. l. 4to. p. 189. lin. 20 of seeds deleatur. p. 192. lin. 17 et 18 guaririgione l. guarigione. p. 199. lin 10 candidi l. candentis. p. 215. lin. 1. erupta est l. erupit. p. 217. lin. 11 et 12. tumores herniosos l. tumoribus herniosis. p. 221. lin. 1. POUFPE l. POUPPE. p. 222. lin. vlt. deteriores l. deterioris. p. 223. lin. 10. quo l. qua. p. 227. lin. 14. insultis l. insulis. p. 229. lin. 12. primarium l. primariam. p. 232. lin. 21. tantem l. tandem. p. 234. lin. 28. seratus l. serratus. p. 237. lin. 24. cuius visceris l. cui. p. 238. lin. 13. videtur l. videntur. ibid. lin. 25. affectus l. effectus. p. 248. lin. 33. foetum l. foetam. p. 254. lin. 9. indigeat l. indigent. p. 256. lin. 7. ventri l. ventris. ibid. lin. 12. coercerendos l. coercendos. p. 257. lin. 22. neglecta renouatio l. neglectam renouationem. p. 259. lin. vlt. negandum. l. negandam. p. 263. lin. 15. natum ortis l. natis, ortum. p. 278. lin. 29. p. 266. l. p. 396. p. 281. lin. 19. quaestionem l. quaestionum. ibid. lin. vlt. Vol. XVI. l. Vol. XIV. p. 283. lin. 13. pulmonibus l. pulmones. ibid. lin. 19. spasticae l. spastice. ibid. lin. vlt. p. 174. l. 147. p. 285. lin. 18. erant l. erat. p. 287. lin. 2. veteris l. veterem. p. 290 lin. 34. naturalis largiendem l. naturalem largiendam. p. 298. lin. 29. quadridendato l. quadridentato. p. 304. lin. 4. medicae l. mediae. ibid. lin. 27. flore l. flores. p. 317. lin. 14. post pl. 16. adde 4to. p. 327. lin. 12. necessaroi l. necessario. p. 330. lin. 24. vulnerata l. vulnerato. p. 337. lin. 4. p. 4. l. p. 115. p. 338. lin. 28. variae l. varie. p. 341. lin. 11. Alias l. Aliis. p. 345. l. 17. funiculi vmbilicalis l. funiculo vmbilicali. p. 346. lin. 9. hebdomate l. hebdomade. ibid. lin. 20. appellant l. appellat. p. 361. lin. 26. latinum l. latinam. p. 374. lin. 17. fårga l. fråga.

Pag. 374. lin. 20. Ar. 1869. l. Aor. 1769. p. 388. lin. 5. hebdomatibus l. hebdomadibus. p. 392. lin. 1. conserua l. conseruae ibid. lin. 12. GUILIEKMO l. GUILIELMO. p. 394. lin. 12. hebdomatibus l. hebdomadibus. ibid. lin. 22. epistotonus l. opistotonus. p. 396. lin. 16. succurendum l. succurrendum. p. 403. lin. vlt. offerebant l. offerebat. p. 407. lin. 25. superiori l. inferiori. p. 413. lin. 30. disquirere l. disquireret. ibid. lin. 34. transire l. transirent. p. 423. lin. 27. explicat l. agit. p. 441. lin. 15. circumdatum l. circumdatam. p. 444. lin. 9. Quem l. Quam. ibid. lin. 23. occurentes l. occurrentes. p. 457. lin. 17. adde 8. p. 475. lin. penult. affussa l. affusa. p. 477. lin. 4. cinnanomaea l. cinnamomaea. p. 478. lin. 23. ophtahlmiis l. ophthalmiis. p. 481. lin. 29. I. C. R. l. S. C. R. p. 482. lin. vlt. Vnd l. Vnde. p. 489. lin. 31. explicare l. explicari. p. 490. lin. 13. Magbridiano l. Macbridiano. p. 495. lin. 15. refinosum l. resinosum. p. 506. lin. 16. nostri l. nostrae. p. 511. lin. penult. differant l. differant. p. 513. lin. 20. *Fallo* l. *Falco*. p. 516. lin. 15. *cerolinensis* l. *carolinensis*. ib. lin. 28. species l. specie. p. 517. lin. penult. viridiscendem l. viridescentem. p. 519. lin. 12. eorum l. earum. ib. lin. 22. Buffoniani l. Buffonianae. p. 520. lin. vlt. alati l. allati. p. 521. lin. 9. aatatis l. aetatis. ibid. lin. 10. domesticae l. domestica. p. 522. lin. 19. confundunt l. confunduntur. p. 527. lin. vlt. metallinis l. metallicis. p. 530. lin. 26. pharmacopei l. pharmacopoei. p. 542. lin. 26. Berolini l. Berolinum. p. 545. lin. 19 et 24. *Montpeiller* l. *Montpellier*. p. 547. lin. 18. scripto physicorum l. scriptorum physico. p. 557. lin. 25. *Vorbaungs* l. *Vorbauungs*. p. 564. lin. vlt. *Hauswirthscaft* l. *Hauswirthschaft*. p. 573. lin. 20. *Bescreibung*. l. *Beschreibung*. ib. lin. 29. ROCH l. KOCH. v. p. 160. p. 581. lin. penult. veficam l. vesicam. p. 583. lin. 26. de cente l. cedente. p. 587. lin. 23. attentus l. attenta. p. 588. lin. 4 et 5. Nostro eorum l. auctoris. p. 591. lin. 10. 11. partim l. partem. p. 594. l. 4. duobus l. duabus. p. 597. lin. 6. patiebatur l. patiebantur. ib. lin. 7. videbantur l. videbatur. ib. lin. 8. 1760. l. 1769. ib. lin. 14. dissicili l. difficili. p. 619. lin. 24. Carniolicae l. Carnioliae. p. 624. lin. 10. alae l. alas. p. 627. lin. 15. stypitatus l. stipitatus. p. 637. lin. vlt. *Europaea* l. *Europaei*. p. 645. lin. 7. frustra l. frusta. p. 646. lin. 24. a l. ad. p. 649. lin. 15. obtineri l. obtinere. ibid. lin. 27. Ian. l. Iun. p. 651. lin. 1. siniflram l. sinistram. ib. lin. 11. ommittimus l. omittimus. p. 652. lin. 9. ian. l. iun. p. 659. lin. 16. mercurialis l. mercuriali. p. 680. lin. 18. quae l. quas. p. 697. lin. 22. praemantur l. premantur. p. 703. lin. vlt. delineatonibus l. delineatoribus. p. 704. lin. 15. qui l. quae.